



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...

Pars Altera Libri XVIII

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1625

Liber Quintus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11182



IOSEPHI RIPAMONTII
E COLLEGIO AMBROSIANO
HISTORiarVM

ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Quintus.

TNterea Canonici Templi Maximi, dam-
num dedecusq; rati suum, & vrbis,
quod quartum iam annum Pontifice
carerent, eligendo Archiepiscopo ani-
mos aduertere, & statim inter eos
orta dissensio. Producebantur, ab vna parte Rai-
mondus Turrianus Archipresbyter Modoetiae,
Vgo Septalius ab altera, quorum vterque munere
dignus, vterque ad ius suum obtinendum acer, impi-
gerque erat. Pont. Max. cognita Collegij dissensione,
neque hunc, neque illum, sed Raimodum Episcopum
Nouocomi capeflere Metropolitim iubet. Mox fatalis
ad Reip. mala casus interuenit, vnde quis minime exi-
stimasset; ab eoque casu continua difficultatum inex-
plicabilium series, quarum initia, & causas, & in tem-
pore

pore finem explicabo. Octavianus Vbalдинus Cardi-
 nalis, ex Gallia rediens legatione venit hoc tempore
 fortè Mediolanum, & apud Sodales Ambrosianos be-
 nignè atq; hospitaliter inuitatus diuertit. Ibi, cum
 Aedis thesauri per hospitij gratulationem, sicuti fit,
 aperti, Pontificio Legato, die quodam ostenderentur,
 & circumfusâ Canonorum Monachorumq; turbâ,
 purpuratus, alia dissimulanter admiraretur, alia sum-
 pta in manus erudite laudaret, inter cetera, quæ oculis
 placere, animaduertit eximiae claritatis pyropum,
 eamque sibi gemmam tacitus destinauit. In praesen-
 tia tegit animi sui votum, commendataque duobus
 verbis munificentiâ Pontificum, Caesarum, Regum,
 qui parenti vr̄bis Ambrosio, tam illustria dona con-
 tulissent, digreditur inde ad alia contemplanda, quæ
 per Monasterium, Basilicamue, primordijs Aedis, &
 antiquitate veneranda monstrabantur. Placuisse py-
 ropum adhuc senserat nemo, donec orto de thesauris
 fortè sermone, quem ipse, iacto in longum verbo, de
 industria lacessiuit, cupiditas est detecta. Quippe, lau-
 datâ frigide gemma, si sibi dare vellet, promptû fore
 argentum dixit. Ad ea, Canonorum Antistes, qui
 proximus erat constantis homo supercilij, molli rictu
 diductoque leniter ore, rem esse sacram ait; si sui foret
 arbitrij, sponte oblatum fuisse. Apparebat, legatum
 violentius acturam esse aliquid, quàm prima illa mo-
 desta studij sui significatione declarasset. Itaque con-
 fugiunt Canonici ad Turrimum, Cardinalis verba,
 responsum, suspicionemque suam, & quo in discrimi-

ne versari rem putent, demonstrant; serum postea auxilium fore, nisi statim afferatur. Aduolat repente cum armatorum manu Turrianus, vnoque temporis momento, miles in Basilica, miles intra claustra, & plene omnia telorum fucere; strepabantque, vt etiam ad Cardinalem in aedium penetralia, tumultus, & clamores varij peruenirent. Cardinalis egressus, quid rei sit, & quid sibi velint, rogat. Respondent, adesse Ciuitatis nomine, vt ipsum ad finium extrema deducant, ne scilicet abeat in comitatus. Non erat ea rerum facies, ijque vultus hominum, vt honoris sui causa conuenisse multitudinem eam, credere hospes posset. Sed Purpuratus arte sua est vsus, finxitque sermonem, & vultum assuetus huic disciplinae ob rerum hominumque varietates, quae assidue tractandae ipsi erant. Laeta fronte, quod bene vertat, inquit, discedemus, vt eumque benignitate ciuitatis. Cunctatus inde tantisper, dum sui sarcinas colligerent, abiit profundo voluens animo iras, malumque Turriano ipsi minitans. Ad modicum viae profecuti sunt abeuntem; inde Romana cohors cum principe suo domum ibat. Cardinalis, vbi Romam peruenit, in id omni ope intentus erat, vt Metropolitim alicui ex factione Turrianis aduersa demandandam curaret. Aptissimus in id varia agitanti consilia occurrebat Otho Vicecomes, qui in D. Martini aede ad Decium decimo ab vrbe Mediolano lapide Canonicus olim fuerat, & ob promptum ingenium habilemque iuuentam, Cardinalem in ipsa legatione affectatus, dextere obeundo negotia, mansuete cum

cum aulicis alijs agendo demeruerat herum, vt nemo
 varior ei acceptiorque esset. Litteris quoque, & vitae
 disciplina par muneri videbatur. Sed super omnia pla-
 cebat ab ea parte, quod auidus honoris, quod ad nul-
 lam rem, legni, ac remisso animo, spem faceret, ad vl-
 tima perseveraturum esse, quicquid certaminum, &
 difficultatum in pontificatu adeundo illo reperisset.
 Non crediderim, quamquam id quoque dictum fuit,
 eam etiam in eo negotio spem fuisse, cogitationemq;
 Cardinali, quod prospiceret, si talis inualuisset Archie-
 piscopus, acturum esse Pontificatum per assiduas ple-
 bis iniurias, indeque sine fine parari mala victoribus
 pariter, & victis. Sin autem, patritium cum Antisti-
 tem amolita plebes, Romanas eo facto lacerasset iras,
 non hominum modò, sed celestibus quoque telis vr-
 bem hanc oppugnatum iri. Statim in promptu fore
 anathemata solita, & deuotiones; & Romae quoque
 esse in rebelles arma. Haec, & alia, quamquam iactata
 sermone nonnullorum, super id, quod ab nullo satis
 certo auctore firmantur, prompte cõfutaueris etiam,
 quia grauissimo Cardinalium Vbaldino illi nulla alia
 per totã vitam obiecta culpa est, nisi quod gemmam
 eam (studiosus credo talium) expetisset intemperan-
 tius, & numerata pecunia ferre Romam voluisset. Ita-
 que Turriano, qui sibi aduersatus in eo studio erat, vi-
 cissim dare volens, quod ipse doleret, varie, per se, per
 alios apud Pont. Max. agendo, tenuit, vt cum bona
 pace Nouocomensis Episcopi, qui antea designatus
 fuerat, Otho Vicecomes Mediolani Archiepiscopus
 crea-

crearetur. Audita ea res crexerat statim Valuaforum,
& Capitaneorum animos, ad patriae repetendae spem
aliquam, ac ex varijs, prout dispersi, profugique erant,
coeundo locis, consilia in id, inter sese agitabant. In
Bergomensium finibus, contra flumen Abduam,
maximè congregabantur freti gentis auxilio, & inui-
tante ad transgrediendum, anni, quo traiecio, matu-
ras forte in agris segetes circa Licurtum populantur,
vicumque ipsum diripiunt. Erat iam antea populo
Bergomensi denuntiatum, ne exulibus auxilio essent,
neue suos intra fines admitterent. Si fieret, hostilia vi-
cissim omnia Mediolanenses interminati erant. Post-
quam transgressos inde exules, & factam ab ea parte
impressionem, Bergomensiumque etiam ipsorum ve-
xilla immista fuisse agmini cognitum Mediolani est,
accessus ira Turrianus, cum vexillis aliquot, ad Va-
prium vsque progreditur, populationem agro Ber-
gomensi redditurus, vbiq; etiam ipsi minitans. Cen-
sebat tamen esse praemittendos, qui Reip. nomine
de ea re in concilio gentis expostularent; vt si quid pa-
cati esset relatum, vltio reseruaretur in aliud tempus,
ne ad noui Pontificatus certamina, & magnum ex
Othone discrimè, hostis etiam ille accederet. Ita missi
Bergomum legati, mandata, quae habebant, in Con-
cilio gentis exponunt, nec procul à comminatione
res erat. Bergomenses, audita querimonia, non modò
verbis purgauerunt factum, excusantes varie, culpamq;
conferentes in paucorum insaniam, qui prodita ipsi
patria, sui simillimos proditores, ac perduelles recep-
tarent,

rarent, tegerentque; sed re ipsa nomen omne Capita-
 ncorum, & Valuasorum suis abire finibus iusserunt,
 propositis etiam praemijs, si quis interfecti alicuius ca-
 put referret. Tunc exulibus ipsa desperatio animos
 addidit, si nulla in terra consistere, nihil apud morta-
 les ullos obtinere subsidij, nulla belli iura usurpare
 possent; tantoque animi discreta gens etiam bello ap-
 peteretur ob id ipsum, quia ibi posuissent pedem. Octin-
 gēti fere in ea parte fuerant Valuasores, & Capitanei
 praeter obscuriorem aliam exulium manum, qui, vel
 à Mediolanensi descuerant plebe plebeij ipsi, vel ex
 alijs se se urbibus & locis, ob incommodas domi res
 ad eos contulerant. Omneis vno agmine confestim
 ex Bergomatium terra, socios detestati infidos abie-
 runt; & quātutum fuit, traiecto flumine, Briantios
 colles insedere, neque munimentorum ibi, neque
 comaeatum indigentes, uti ferax regio est, arcemq;
 crebras attollit. Est in extremo Briantaeorum tractu,
 quā terra vergit in Orobios, leniter ab imo fastigia-
 tus, & Lambro flumini imminens collis, quem Ta-
 biacum vocant, vnde nomen arci, cuius ruinosa ve-
 stigia & reliquiae veteres adhuc cernuntur; in iisdem-
 que vestigijs turrim excitauere nouam, qui pomis, &
 vite confitum hodie collem tenent. Arcem collemq;
 cum exules addentes munimenta loco cum occupa-
 uissent, succedente statim Turriano, tam acri ciogun-
 tur obsidione, ut post dies aliquot, omnibus subacti
 malis, quae corpora humana debilitantur, sumptis
 in manum crucibus exirent vltro permitterentque si

se hosti. Et facta sine conditione vlla deditio ea est, assueta iam dudum nobilitate cedere casibus, & facienti fortunae submittere animos. Impositi carnis aut iumentis, pars Mediolanum, pars Modoetiam, ad Vicomercatum alij, plures ad Seperanum in vincula sunt missi, ac de vita, capiteque eorum postea consultandum arbitrio plebis erat, perleui interiecto momento, ne omnes interficerentur. Nam praeter intestina, & furiosa odia plebis in eos, fuerat in exercitu, & obidione prius, deinde in Concilio etiam fuit Palauicinus ille impius, quem vt dixi antea eiectionem reuocauerant nunc, vt paulò post extruderetur non rediturus, & inuenturus alibi exitum, quod muerat Mediolani & vitat. Cùm per aliquot dies captiuus in custodia habitus fuisset, & iudicis eius custodiam causa in singulas vrbes regiones excubijs, quinquageni per noctes fatigaretur, coeperat taedio esse plebi id munus, & de capite omnium, quamprimum vti statueretur, efflagitabant. Itaque ad v. Idus Quintileis eius iudicij causa publicus conuentus habitus est, in quo eùm sententiae variae dicerentur, atrocissima omnium sententia Palauicini erat. Namque sicuti erant multitudinis odia in nobiles suos ab mutabilibus in diem orra causis, ita etiam volebant eorum necem, & volebant; & vbi impetrauissent, fortasse depectarentur. Impius & irreligiosus ille, sine Numine, sine fide, sine societate vlla, tamquam in naturales sibi hostes ardebat, sanguineque eorum inundari cupiebat urbem. Ac sicuti ingenia ista nescia Numinis

& infensa religioni, malitiosis consilijs, & rationibus attinentur, quas ipsi prudentiam appellant, ita fere differebat: Efferatos esse homines seruitio, fuga, captiuitate, tot malis: si dimitterentur, metue-
 dos: si custodirentur, onerosos: Metum profecto ipsum, quod de suo capite esse quaesitum scirent, si nihil aliud, posse vim addere animis, vt in signe aliquid auderent. Etiam seruos olim irritatos seueritate dominorum, in discrimen adduxisse res Romanas, nedum vt isti, olim domini, nunc infra seruos, tot mala, tam ancipitem de sua vita sententiam, si super sit vita, meminisse segniter possint. Posse, & miseras ipsius, & Reip. sollicitudinem finire horae vnus momento, quo plura etiam, quam octingentorum capita manus impigrae detruncarent. Sin alicui mollior fortasse animus refugeret ab sententia, quae tantum humani sanguinis, vnâ, vel hora, vel die funderet; darentur interualla quaedam, & spiramenta necessariae hostium eorum caedi, diductique multifariam, & separati, sine strepitu quam lenissime paulatim interficerentur. Si etiam mollities, atque placabilitas eadē, securim ferrumque remoueret ab ceruicibus hominū, qui patriae calcare ceruices voluissent; non deesse viam, qua fatisfieret, tum proprio huic seminarum languori, tum debitae erga patriam pietati. Vterentur antiquo & communi imperiorum omnium instrumento, darentque mitissima inter cibos medicamenta, quibus ipsi finire principes & Reges aliquando optassent. Quaecunque tandem in captiuis illis
 pla-

placeret via lethi, dum modo aliqua placeret; scirent, reputarentque hoc; patrata nobilium nece, fluxam fore, & breui duraturum rumoris inuidiam, facinoris verò fructum vtilitatesque sempiternas. Si pro salute, & incolumitate Imperij grauiſſima ſemper bella ſuſciperentur cum ciuitatum, & exercituum ſaepe ſtrage; quid in paucis hominibus pro ſalute, & incolumitate eadem dubitarent? In priuatis etiam inimicitijs, ab eo qui plus ſapiat & poſſit, quaeri, & parari ſecuritatem vno ictu: nullum poſt funera hoſtem timeri: quamdiu ſpiret, vltionem agitare, qui ſit laeſus. Haec ferme Palauicinus ille, non curâ vllâ ciuitatis, quae peregrina ipſi & aliena, ſed Numinis & religionis odio hominibus etiam ipſis infeſtus diſſeruerat. Tantaque hominis illius ſaeditia, & ſub prudentiae nomine, ac ſpecie latitans maligni animi venenum, ſaeditiam, & odium, haud dubie plebis mitigauerat, vt in contumeliam eius peregrinae crudelitatis fauerent nobilium ſuorum ſaluti, quorum antea necem depoſcere parati fuerunt. At Turrianus, cùm de induſtria ſibi reſeruauit vltimum in ſententiâ dicenda locû, Chriſtianae caritatis recordatione, ac teneritudine hoſtibus etiâ mitis cùm

» nullû inquit, adhuc ego hominem genuerim parcere
 » vitae hominum didici. Quin potius demptis vinculis
 » extra vrbis, Imperijq; noſtri fines ablegantur iſti, &
 » viuunt? Fuerit ſane Turrianus etiam ipſe pernicioſus
 huic patriae ciuis, dux, auctorque turbarum, populique
 inſtigatior, Palauicini receptator, eiektor nobilium;
 cauſa,

causa, & origo malorum fere omnium, quae dominante ipso ciuitas passa nostra est. Vox mehercule, ista vna vindicat eius nomen ab omni infamia, & laebe, coarguitq; simul multorum omnis a cui tyrannorum insaniam, & furorem, quibus ludus fuit ob minimam vnam, & vanam saepe utilitatem, iubere, siue machinari hominum neces. Cùm hominem fortasse nullum ipsi genuissent peremerunt, exturbaueruntq; vitæ prolem alienam; neque semper obtantam rem, quanta res est principatus, & regnū, & ipsorum caput, sed saepe, quia voces liberas, & nullam vtiq; plagam illatura verba pertimuisent. Vtebantur prudentia, & religione Palauicini istius, qui contemptu Diuinitatis contemnebat hominum vitam, atque tot nobilium, eadem ob nonnihil appetebat. Et interea, dum ipsi debaccharentur sic, ac sauirent, lacerabant comas, plangebantq; pectora matres; circa superba squallebat limina contemptus inauditufq; parens, & domus rotæ complebantur luctu. Ratio status ea tyrannis improbis putido dicitur & importuno nomine, mentiens semper, & ancillans, & mentiri alios cogens, avara sui, fur alieni, carnifex infelicium, vnde furata est fluxas semper illas, & breui duraturas opes. Non sic in duobus hodie maximis omnium terrarum Imperijs, Ecclesiastico hoc, & Catholico altero, quibus ne alijs, duo haec rerum humanarum columnina sunt legis & normae instar. Innoxia, & simplex prudentia Euangelij moderatur hîc cuncta, & regit; thesauri pijs largitionibus exhauriuntur, aliturque non sicut homi-

hominū sanguis; Nec satis est vnā meruisse necem,
vt alicui vita eripiat. Loquendi libertas impune est,
& saepe facta condonatur, nisi vbi clementia ipsa
flagitium fiat. Christiana igitur, & mitis illa sententia
Turriani, cū soluisset, dimississetq; captiuos, abie-
re, datis ab senatu custodibus, donec extra Mediola-
nensis Imperij fines exissent. Deformis, & miseranda
species; homines patritios exire de sede sua, eiectos
olim, & dum redire conantur, captos, & in captiuitate
ipsa vicinos neci, magnumq; munus extollentes ver-
bis, quōd aufugere iterum daretur. Notabantur pal-
lida ora fame, & extenuati lurida macie vultus, prop-
terea quod affirmauerant carcerum custodes, nobilissi-
mum & clarissimum quemq; cibo abstinuisse, donec
in ipso lethalis inediae termino, eiecti naturae stimu-
lis, & ipforum hortatu, sumerent denique aliquid, &
spes vitae abiectas admitterent rursus. Id taedio, &
desperatione, ob angustias loci, contumeliasque quo-
tidianas, cū fieri aliquandiu arbitrarentur, postea
esse animaduersum, ideo non manducare captiuos,
quia timerent venena, mallentq; sponte sua dissolui,
& tabescere, quā infectos hostium manu cibos de-
mittere in fauces. Annus hic, quo dimissi sunt captiui,
fuit humanae salutis millesimus ducentessimus sexa-
gesimus alter, insignis etiam publica hilaritate, qua
prope in saturnalium morem in vrbe luxuriatum est,
ob parram credo ex nobilitate victoriam, tanto lac-
tiores plebi, populoque vniuerso, quia vitata caedis
infamia constituisse Remp., & vitam donasse hosti

viderentur. In D. Syri campo ad Vitram, infamissime ob furcas loco, tentoria, & fulcra posita fuere. Ibi structis omni ciborum genere mensis de publico epulabantur; eoque coniuiali sumptu magna ex parte defunctam Credentiae Societatem ferunt, hominesque illos in versicolore vestitu, cui intextum albo rubrum esset, ad regendum elegantia, & ordine opulum adfuisse. Sed ne quis ex multitudine tumultus oriretur, institutum, ut à singulis vrbis regionibus comassatum in orbem irent. Eodem anno, propter squalentes immodica siccitate agros, iere supplicatum, & siue precibus euocatae illis tumidae statim nubes, siue sponte sua exortae, tantam repente fudere imbrium vim, ut apertis auarorum horreis, ex magna caritate annonae summa illico vilitas cōsequeretur. Circa anni finem circummissa cohortes aliquot ad explendas complanandasque arcium fossas, quas posse aliquando fieri receptacula exulū timerent. Ad Gallaratum, ad Bripium, ad Mociacū, ingesta humo rudibusque, ad summa labra explentur fossae propterea quod eae turres, & arces, & loca illa opportuna irruptioni hostium videbantur; neque obtineri praesidijs placebat. Praetor eius anni fuit Vbertinus Palauicinus impij Palauicini fratris filius, de cuius probitate, & religione rumor postea inualluit, tamquam diuino munere datus familiae generique illi esset, ad delendam maculam, & labem, dedecusque obruendum, quod patrum mores primò, deinde exitus imposuisset. Intecuti menses praetorem habuere

habuere Ciauatarium Stradam hominem Ticinen-
sem, cuius etiam notasse magistratum volui propter
veterem in Curia Ducis campanam, quae Praetoris
illius nomine appellata, corrupto hodie in rudiorem
etiam sonum vocabulo illuditur plebeia voce, tam-
quam satiet pomeridiano sui fragore aures, siue tam-
quam satiatos negotijs ciues è foro domos dimittat.
Ob id rhopalum, eamue nolam, aeneumq; crepita-
culum, posui Ciauatarij Praetoris nomen, in cuius
magistratu conflata est satiatrix campana, quae quo-
tidie auditur. Praetores alios, neque recensui antea
omneis, neque deinceps recensendi magnopere cura
erit; scilicet quia paucorum semper mensium praefec-
tura erat, externiq; fere homines, in plebis Imperio
tantum poterant, quantam esse magistratus eius um-
bram & nomen vellent ijdem, quorum dominatio-
ni & potestati nomen & umbra illa subseruiebat. Iam
inde à prima exulum irruptione crebris de Othone
Vicecomite rumoribus feriebantur populi aures;
Archiepiscopum eum esse factum, moxque adfore
Romani Pontificis ope ac praesidio paratum inua-
dendae vrbi; sublaturam animos eius aduentu nobi-
litem, proximosq; eorum conatus, & impetus, quã-
quam irriti, nec sine clade fuissent, ab fiducia hac flu-
xisse. Etiam Vbaldini Cardinalis, post eum, quem
memoravi casum, offensiones & meditamenta, cre-
bris in vrbe susurris iactata erant, ambigente nemi-
ne, quin si vera esset de nouo Archiepiscopo fama,
propter Vbaldini inimicitias Vicecomes ipse fauore

Pp

sub-

subnixus eius, longe terribilior futurus plebi esset. Sed cum ferrent iactarentque ista quotidie in circulis, rursus ab insita humano animo natura lente crededi, quae ingrata sunt, vana esse eadem putabant. Quam multos ab Roma venire rumores semper, qui leuitate sua deinde euanescent! In vrbe interpretante omnia, & augente, dictum fortasse aliquid de offensione Cardinalis ob gemmam, de plebis dominatu, nobilium exilio, factione Vicecomitum, habilitate Othonis, & vacua Mediolani Pontificatus sede. Haec omnia scilicet fecisse fortasse, ut quod verisimile esset, pro vero diuulgaretur. Aliquandiu talibus inuicem coniecturis, humani animi more suos ipsi metus eluserat. Mox, & suorum hominum ex aula litteris ac nuntijs, rem cognouere, sicuti erat, & nouus Archiepiscopus Otho, salutatis Romae patribus, ac firmatis in se omnium animis, profectus vrbe ab illa, Metropoli suae magnis itineribus propinquabat. Quod ubi compertum fuit, absque mora plebes, Ecclesiae fructus, quos olim occuparat, corripit vi maiore, vulgoque sic fremebat; veniret Archiepiscopus; in nullam bonorum sortem esse venturum. Simul ingens adesse certamen videntes, atcollique Romana ope exulum animos, expediunt cuncta ad bellum, ac sese ad resistendum parant, quamuis ne antea quidem, ad casum imparati vllum fuissent. Nam residua in vrbe nobilitas, nobilium aliorum hostis, faulrix & amica populi, hoc ipso attentior, & prouidentior ad omnia, quam populus ipse erat, quod si exulum res in-

uale-

ualefcerent, factionisque eius homo, rerum Ecclesiarum in vrbe potiretur, ignominiam, exitiumque vltimum timeret. Horum consilio, & vigilantia res militaris probe instructa ad omne casus erat, vrbsque ipsa, & intra urbem, siue ad municipia arces egregia cura munitabantur. Arcem forte ad Aronam vnam in Verbanum Lacus littore, contra veteris Angleriae reliquias, freti validis munimentis, & natura loci, firmauerant praesidio minore, quam quanta momenta essent loci eius imminentis in Lacus Imperium, & praebentis ab ea parte claustra agro Mediolanensi tutissima, siue arcibus hostis, siue in aliena transgrediendum. Aronensem eam arcem impetu facto expugnauere exules, & veniens ab Roma Otho, siue vitata vltro, propter metum, vrbe, siue cum ingredi voluisset, reiectus, recipitur illuc Cal. Aprilis, quo die, Christi de morte triumphum anniuersario ritu Ecclesia recolebat. Erat res magnopere formidanda plebi, & coniunctis cum plebe nobilibus, si teneret Aronam hostis, tum propter eas, quas dixi opportunitates, tum verò, quia tractus ille vniuersus, tamquam alumno, & populari suo fauebat Othoni, cuius auita domus, & priscum humile tectum, non procul ab Arona monstratur in hunc diem. Massinum dicitur locus, vnde, nemoroso ab colle, qui Verbano imminet, descendit familia per Othonis huius pontificatum occupatura sceptris Insubriam, aliasque porro Inclitas vrbes subiectura sibi, vt post longum deinde annorum ambitum, ab summo fortunae culmine ad ciuilia redigeretur, & miraculi praedicaretur in-

star, quod aliquando in patriam dominati essent; Othoneque ipsi tantarum accumulatori opum, illa in rupe parentes fuere Vbertus, & Berta. Turrianus, ubi de insecsa per exules ad Aronam arce; receptoque in eam Othone Archiepiscopo nuntium accepit, insequenti die, qui fuit alter ab Othonis ingressu, cataphractorum equitum turmas secum celerrime illuc rapit. Mille pedites, quantum accelerare possent, sequebantur: mille alij Nouariensi via, celeritate eadem, ad Mercuriacum fuere; & toto post dies aliquot urbano exercitu Palauicinus Angleriam insedit. Hae copiae omnes, ad xv. nonas Maias coactae in vnum, circa radices collis, in quo sita est arcis moles, toto qui ibi patescit campo disponuntur. Laudensium, & Comensium, & Nouariensium auxilia in aduersum arci collem erecta, nequid ab Vergantijs subsidij veniret, excubabant. Quae rupis abrupta Lacu alluuntur, turritae naues admotae, vnde tela omnis generis contorqueri in pinnas possent: Atque ita, hinc oppugnando acriter arcem, hinc subsidia omnia prohibendo, paucis diebus, urbani inclusos in summam rerum omnium necessitatem adduxere; sperabaturque per ruinas aditus, nisi deditio maturata esset. Septimo die, postquam oppugnari coepta erat arx deditur in eam conditionem, vt saluis corporibus exules cum singulis vestimentis abirent; nec ea seruata est fides. Caesi hostiliter, atq; dispoliati quicumque segniore, ad fugiendum fuere. Otho ipse, ubi primum desperatas esse res vidit, ante deditorem elapsus exoluit viatores

Stores inexpiabili facinore, quo vitam fortasse Pontificis, ferro, siue vinculis violaturi erant. Cum arcto squalidoque comitatu trepidum, anhelumq; ipsum, recta abijisse Romam ferunt, vnde propter spretam in nouo Archiepiscopo Summi Pontificis auctoritatem, bellum, haud dubie vrbi imminebat atrocius longe, quam quod armis, & telis ipsa secum gereret. Infiicta statim anathemata populo Mediolanensi; & vetito sacrorum iure redacta ciuitas in veterem miseriam, expressaq; sicut postea demonstrabo necessitas implorandae per legatos pacis: legationes ipsae repudiatae, dein admissae precibus alienis, & acceptus denique Archiepiscopus, cuius familiae potentia ab seruitute plebis initium sumptura erat. Eripitur his malis Martinus Turrianus opportuna morte, cum per dies aliquot apud Laudem Pompeiam aegrotasset, vir, si in quieta ciuitate natus fuisset, annumerandus alijs, quibus post funera crescit honos. Temporum conditio patriae hostibus annumerari hominem coegit. Mœrore funeris indicatum est, quanti fuisset apud suos. Inuicem succedens oneri populus ad Clareaualis Aedem tulere cadauer, vbi quiescere se velle dixerat, postquam exacta inter tumultus vita agebat animam. Suffectus deinde est Martino huic in populi praefectura Philippus eius frater, qui egregie constitutum, atque fundatum ab eo repererat Imperium plebis, nisi conuerti propediem omnia, mutarique necesse esset. Nudata erat ab priore Turriano mœnibus Arona, & arce labefactata illa, prouisum ne claustris

amplius eis cōfiderē exules possent. Castellum etiam
 aliud Ecclesiastici iuris ad Brebiam dirutum, & quic-
 quid aliud, vel ad finium extrema, vel etiam intror-
 sus, per fugium, & sedem praebere hosti aliquam pos-
 set, complanatum, aut munitum. Vrbs Nouaria
 fœde lacerata Torniello inter, & Cauallacios, & Bru-
 lartos vltro concesserat in populi Mediolanensis po-
 testatem, tradideratq; sese Martino. Vitani Comēses
 accito cōtra Rusconum familiam, duce, defensoreq;
 eodem tradere voluerant urbem suam; sed in ipso
 rerum limine ille mortuus erat. Recepta est per Phi-
 lippum hunc Martini fratrem, cui, post eius mortem,
 populus innitebatur. Philippus igitur in D. Teclae
 Aede, populi Credentiaeq; Rector suffragijs omnibus
 renuntiatus, primum omnium apud Musam Masa-
 tium praetorem in populi verba iurat. Deinde adie-
 cto ad rem Comensem animo profectus illuc, Vitano-
 rum praesidio, post anceps cum Rusconum aduersa
 factione praelium, capta vrbe, Valuasores omnes, &
 Capitaneos, qui eò confugerant, pellit. Simonem Lo-
 carnium, & Albrissium queadam, & Rumecium, &
 Guidacium praecipuos exulum receptatores mittit in
 Pessanensem arcem, & cum inde elapsi essent, retra-
 ctos cingit duriore ad Mediolanum custodia; Rume-
 cio etiam caput obruncat. Quarum fama rerum in-
 crescente apud finitimos autoritate plebis, Bergo-
 menses id Imperium pertinere, missiq; legatis, pa-
 cem, & amicitiam, cum populo Mediolanensi, vete-
 res diprecati culpas, impetrauerunt. Quod semper
 inter

inter homines fit, vt obsequia ad feliciores vergant; infelices, & victi dimitrantur denique ex animis, etiamsi quibus aliquandiu cordi ac miserationi fuerant; id ipsum in exulum Mediolanensium causa accidebat, quos pleraeque ciuitates amplexae olim fauore & cura, nunc, postquam fortunae fauor in contraria perseuerabat parte, dimittebant, iubentes abire aliò, & perfugia quaerere sibi diuersa, ne eorum exitio ipsae quoque inuoluerentur. Atque ita, accedentibus ad populi amicitiam finitimis, dominatus ille maior quotidie & amplior fiebat, vt sonitu, & ruina paulò post maiore concideret. Etiam ad emendandos domi mores, modestiaque & grauitate componendam ciuitatem, ipse nunquam alioqui modesta res populus intentus hoc tempore erat; & in Aula publica sedentes octingenti tulere legem, quae nostris etiam temporibus videri seuerior possit, si princeps hodie vnus tale aliquid edicat. In caupona hospitioe publico potare quemquam vetuerunt; ac ne potare quidem extra cauponam alienae domi, nisi ea domus ab caupone sede ac diuerticulo saltem octaua vicinitatis esset; addideruntque legi, ne venale merum in caupona haberetur extra prandij caenaeque horas. Paulò post in octingentorum eorundem conuentu, mentio illata à senioribus est, non posse satellites, & scribas ea stipe sustentari, quae assignata in dies singulos esset quoties iudiciorum causa aliquò proficiscentur. Augeri quotidie rerum pretia, & viliores in dies fieri monetam; egestatemque ministrorum, &

VORACEM

voracem eorum gulam irruere in pauperum domos; nec satelliti trinos sufficere asses, nec scribae alterum tantum; addendum de publico aliquid esse, quò tolerabilior priuatim ea calamitas fiat. Decreuere, vt acciperent, scriba nouenos asses, licitor quaternos; atque satellitij totius coercitam sic esse licentiam, quotidianasque rapinas existimabant. Mihi, quò plura veterum siue recentium reuoluo; tanto magis indignitas rerum humanarum ante oculos obuersatur. Stomachari autem licebat, primùm quidem, ob scelera mortalium, & latrocinia, quae latrocinio coerceri alio necesse fuerit, ita vt communi vitae sub satellitū nomine pessimi carnifices darètur; deinde licebat etiã stomachari in ipsa satellitū istorū praemia, quae tã arcta fuerūt apud maiores nostros, & postea creuerunt in tantum vt Praetoribus & tribunis, & iudicibus, alijsque honestis magistratibus, ne dimidium quidem eius datum fuisse antiquitus conset. Homines indigni refugientes ab sordibus & fame, in quatiati erant, quaestus instituunt sibi portentosos ex innoxiorum saepe fama, reque & sanguine; ac sese interea iustitiae ministros appellant. Summum eorum decus, & egregia gloria artis erit, exterruisse vultu reum minaci, captiosave interrogatiuncula, & apice vno subditio latrocinium instruisse quod machinantur. Nemo interim quaerit vitam, & flagitia ipsorum, atque vt niteant affluantque delictijs isti, arat agricola sudatque. Sed hoc denique anno, quo ciuium mores, & satellitum

litum alimenta constituebantur (is fuit salutis nostrae
c100clxv.) eicitur ex vrbe Palauicinus; nisi si potius
ipse cernens populi in se impetum, voluntaria fuga
eripuit in praesentia se se neci. Causa, vel exilij vel
fugae Palauicino fuit, quod transeunte per Mediola-
nensem agrum Carolo Andegauensi, dum ad capes-
sendum Siciliae Regnū Romam iret, obuiam egres-
sus cum populo Turrianus foedus cum eo iecerat, at-
que ob eam rem iratus plebi ipse, & defectionem ad
exules parans, in medio transeundi consilio & co-
nato fuerat deprehensus. Post exilium fugamue eā,
cū se se ad exules contulisset, dum persequitur ip-
sum Philippus, defectus repente hic vita & ex anima-
tus concidit; atque tam subita Ducis mors, Turria-
norum aliorū populiq; Mediolanensis animos ex-
terruit, non sanauit; & magna nobilium caede paulò
post vrbs cruentatur. Praetor erat Vercellarum Pa-
ganus mortui tribuni propinquus, & florentis tunc
familiae praecipua spes, rumoribusque vulgi destina-
tus Philippo successor etiam antequam ille caderet.
Postquam is, vt dixi repentinus horam suam obie-
rat, tanto magis sermone expectationeque omniū,
regimen populi Pagano huic destinabatur. Exules
irritati calamitatibus suis, & successionis eius fama,
dato in vrbem eam impetu, deambulantem in foro
virum comprehendunt obruncantque, & direpto
Praetorio, vrbem, frustra repugnante Vercellenfi
populo ipsam inuadunt. Ad eum casum eligitur
statim in Philippilocum ex eadem gente Napus, qui,

Qq

simul

simul, consanguineisui nece, simul amissi praesidij dolore accensus cum delecta equitum manu properus urbem Vercellarum intrat. Iacebat adhuc in foro Pagani corpus cruore sordibusque obsitum, versa in horrorem facie, quae eximia Praetori fuerat, & augentem miserationem proceritate, quae priori Pagano, ob giganteam speciem vulgo cum homines aequiparabant. Dolor & ira, cum qua venerat Napus, in rabiem mutantur simul atque stratum humi, puluereq; & sanguine inuolutum asinum suum vidit. Tolle cadaver ac deportari Mediolanum iubet, nullaque alia re ad Vercellas gesta vel tentata, captiuos exules multos, rapido secum trahens agmine, Mediolanum redit. Cadaver die Lunae, qui dies erat Cal. Februarij delatum ad urbem, in D. Martini Aede, quae extra Portam Vercellinam est, collocatur. Postero die, singularum urbis regionum homines adfuerunt cum milite praetoriano, exanimeque Pagani corpus ad D. Dionysij Aedem, succollantibus inuicem cohortium & turmarum praefectis est translatum. Vastus templo campus tunc praesidebat, quem insecuti temporis auiditas & solertia nequaquam in aedificia vineasque vertere forum potuit; & spatium hodieque ingens ante basilicam eam late excutrit. Stabat extructum Napius sublimis pegma in quo tredecim exulū eorum e Valuasoribus Capitaneisque misti nobilissimi Ciuitatis, dum Pagani corpus adhuc supra humum esset, obtruncantur. Trunca corpora, & capita singulorum
deuo-

deuoluta e pegmate ob concionis oculos, praeparati
in id caballi traxere per vias. Nondum satis paren-
tatum cadaueri erat. Tredecim alios Capitaneos,
& Valuasores ex Turri, in qua adseruabantur,
eductos, in eodem campo, manus carnificum ex-
dem, in secuto die, affluentem ad ea spectacula populo
sine capitibus ostentauere. Ac ne ullus exsequiarum
dies sine magna caede & scelere transiret, in eodem
alij viri nobiles, qui Titienſi cohibebantur arce,
furore eodem raptati Mediolanum, & ibi ad valuas
trucidati, caeq; inferiae dabantur praesenti tamquam
& inspectanti Pagano, donec amoueri feretrum, &
humari cadauer, ad Templi dignitatem, pudoremque
aliquem hominum pertinuit. Nam hyberno quam-
quam celo ferri diutius non poterat. Memorabile
inter eas caedes Napi filij factum fertur, cuius vul-
gata per urbem fama, patre alio satum esse iuuenem
aiebant multi credebantque. Fortè is accepto in
pugna quadam vulnere proximus morti cum fuisset,
medicamentarijque adhibiti omneis, inspecta plaga
tentari alterius vitae curas iussissent; adductus ad le-
ctulum captiuorum denique vnus, qui multa phar-
maca, & virtutes herbarum nosse occultas diceba-
tur, salubria esse omnia pronuntiauerat, & post pau-
cos dies, linamentis suis & fomentis adducto ad cica-
tricem vulnere, seruauerat iuuenem, à quo salutem
vicissim ipse postea accepturus erat. Bono fuisse
cognomentum ferunt: natales homini, colle in ip-
so, vbi inſessa ad Tabiacum arce exules venerant in

populi potestatem; ac debuit, vel Capitaneorum, siue
 Valuasorū ipse quoque esse aliquis, vel casu studioq.
 aliquo in partes, & in pericula eadem concessisse.
 Cū igitur securim etiam ea ndem subiturus ad fera-
 le illud pegma pertraheretur; misso ad patrem nun-
 tio dici iubet filius; si Bono erepta sit vita, ne se quidē
 superstitem futurum. Ea vox Bonum dexterae car-
 nificis subduxit, neque aliud ab immiti homine pla-
 cabiliter est factum, Execrauerat Pontifex Maximus
 urbem Mediolanum alienaratq; iure diuinarum rerū
 iam inde ab eo tempore cū Archiepiscopus Otho
 aegre vitata ad Aronam nece vel captiuitate Romā
 profugisset. Tot nunc nobilium caedes, & ob vnus
 desiderium tanta in capita innoxiorum saeuicia, fe-
 cit, vt nouis ab Roma decretis, vrbi Mediolano, aqua
 & igni interdiceretur, ac tanto magis interdiceretur,
 quō pluries ciuitas eam pœnam merita erat. Neque
 enim, tamquam tribuni flagitium vnus id, sed tam-
 quam populi vniuersi accipiebatur, quoniam, & po-
 pulare imperium contineretur eo magistratu, & po-
 pulus ipse minister, & particeps, & spectator effundē-
 di sanguinis fuisset. Ideo Rex etiam Siciliae Carolus,
 qui Romae hoc tempore erat, & maximo Sedis Apo-
 stolicae beneficio auctus, fidus ad omnia, particepsq;
 habebatur, tamquam ab inimica reuocauit vrbe Em-
 berram, quem ceu foederis, & amicitiae pignus e suo
 comitatu Praetorem dederat tunc cū ex Gallia
 Romam proficiscens, per prouinciam nostram, vt
 memorauī, iter haberet. Non tamen populus abru-
 pere

pere volebat amicitiae iura cum eo Rege, propterea quod scilicet, in tam dubijs infestisque rebus, praesidium ab ipsius gratia & potentia fore sibi aliquod sperarant. Arrepta occasione Regni, quod nuper ille adeptus fuisset, legatos misere duodecim, qui rem eam dicerent gratam fuisse ciuitati, & ad tuendum augendumque regnum cuncta benigne pollicerentur. Legatos eos in purpura incessisse omneis, memoriae proditum est, & trina millia sestertium data singulis, quod splendidior honestiorque legatio Regi appareret. Ceterum, neque legationis officio, neque Legatorum ornatu, & pompa delectatus Rex, vultu respondit obducto; tunc demum accepta sibi fore Mediolanensium obsequia, & promissa, cum erga Sedem Apostolicam reuerenter & pie agere didicissent. In praesentia, nihil dicere aut facere se posse amice atque hospitaliter aliud, quam ut hortaretur, ne decreta Apostolica contemnendo facerent se se contemptos inuisosque omnibus, ita ut impium nefasque esset, vlla cum ijs seruari humanae societatis iura, ac pro societate omni & foedere commune in eos bellum suscipi gerique oporteret. Responsum id posteaquam renuntiauerunt domum legati, primo quidem inter paucos arcano silentio comprimebatur res, ne animi multitudinis conturbarentur: postea vero solita hominum leuitate, & impatientia ad tegendum occultandumue quicquam, cuncta, sicuti dicta erant, in publicum manauere, & moestitia totam urbem occupabat. Nam praeter haec dicta

Regis

Regis ostendentia laeti nihil, eueniant etiam prodigia, quorum quasi voce Deus miseras & flagitia populi increparet, ac nisi resipuissent, interitum urbi minitaretur. Iam aliquot simillimi noctibus absque vlla solis luce dies fuerant, & caloribus medijs matutina pruina vinearum fœtus in ipso flore praefocarat. Napus ipse, quamquam truci animo, & sanguinis inimicorum avido, pios tamen aliquos erga res diuinas in illa ferocia sensus retinebat, ac pro indignissimo semper habuerat, Urbem Mediolanum, Apostolico decreto iacere notatam. Itaque, sua simul & populi consternatione victus censuit mittendos esse legatos Romam, qui peterent à Pont. Max. ut exsolueret celestibus pœnis humanaque ignominia urbem. Satis iam esse irarum, satis exempli, & cum ciues vniuersos implorare suppliciter veniam, tum ciuitatis nomine principem ipsum spondere, si clementer in praesentia sit actum, numquam postea supplicio vel animaduersioni locum fore. Infelicem quoque noxam tantae causae calamitatis, si recte omnia considerentur, nihil aliud fuisse, quàm errorem humanum, quem tamen iuuet desistere magis quàm excusare. His alijsque mandatis instructa legatio Romam venit; spesque magna fuerat, tum ipsi priuatim Napo, tum ciuibus vniuersis, haud irritas fore preces, quibus annuendo princeps sacrorum clarissimam in obsequio retinere ciuitatem posset. Sed ira maior sederat Pontificis animo, quàm creditum ad eam diem fuerat; & fortasse rebellem iam saepius urbem in
 praec-

praesentia succubuisse malis, ubi veniam & pacem impetrassent, veteri contumacia redituros ad ingenium esse suspectabat. Nec interim Otho recipiebatur, qui, sicut antea demonstraui, pulsus in exilium, causa, & initium irarum erat. Itaque legatis, cum ad urbem appropinquassent, nuntiari iussit; discederent ex templo finibus Romanis, neque intra moenia pedem inferrent; aliter se pro hostibus eos habiturum; neque magnam in legatorum nomine ac iure spem haberent, quod ius quodque nomen cum diris & anathemate male coniungeretur. Legati, postquam tam triste responsum acceperunt, ne re infecta domum redirent, ad Carolum Siciliae Regem confugere petentes ab eo, ut se se pro salute ac dignitate sociarum, & amicae urbis deprecatorum praebere; ipsos, cum suis, & Napi preces afferentes, ad Romana moenia successissent, prohibitos ingressu, ideoque saluos esse, quia fugientibus similes recedere maturassent. Magna Carolo cum Principe sacrorum erat gratia, confirmata mutuis officijs, & Regni munere quod ab eo nuper accepisset; id modum non traditur, fueritne consilium hoc legatorum ipsorum in re trepida & desperata Regem ad eundem, an verum prouisu tam implacabilis animi Napi ipse mandasset. Vt cunq; habuit ea res, facile Carolus commouetur afflictam Mediolanensium fortuna, iussosque bonum animum habere legatos cum sua coniunctam legatione Romam remittit; nec illi sub tutela regij nominis, ignominiam, aut repulsam amplius ullam timere. Sed Romae
erat

erat Otho Vicecomes, quem ex certamine Pontificatus inuisum infensumque Turrianis memoravi. Is, cum apud principes, opibus & gratia multum posset, dura omnia & iniqua legatis faciebat; & cum decretum esset, ut in Senatum introducerentur, ipse simul introductus, eò rem adduxit, ut varie cõflictati legati remitterent omnia propter quae ad eam diem tantopere dimicatum erat. Regij legati verba, cum ei Senatus datus esset, in hunc modum fuere.

„ BEATISSIME PATER, ET PONT. MAX.
 „ Cum Regis Siciliae legati veniremus in hunc locum
 „ ad exsolvendam populo Mediolanensi veniam, &
 „ sanctitatis vestrae pacem, minime quenuquam mira-
 „ rorum credidimus, quòd Rex nemini secundus erga
 „ sedem Apostolicam obsequio, misisset ad deprecanda
 „ eorum pericula, quos semel in fidem clientelam-
 „ que susceptos nunquam postea sibi esse deserendos
 „ putasset. Imò, si in tali fidelium sociorum discrimi-
 „ ne temporeque calamitosissimo cessatum foret pro-
 „ diti per summam iniuriã viderentur; ac meritò San-
 „ ctitas V. Regis ipsius officium ac fidem in suos, quam
 „ antea semper amavit, nunc desiderare posset. Sed
 „ neque Rex ipse hosce Mediolanenses haberet in so-
 „ ciorum, & amicorum numero, rebusque quanquam
 „ afflictis, villo subsidio eos adiuuaret, si, vel in Deum
 „ immortalem impie aliquid fecissent, vel erga sancti-
 „ tatem V. irreuerenter, aut si facinore aliquo indigno
 „ & odioso se famamque suam fortè dehonestassent.
 „ Nunc inclytæ vrbis ciues certamine factionum lap-
 „ sos

„ sos vider, à quibus nulla vnquam parua magnaue
„ ciuitas quieuit aut quiescet, dum quidem in vrbibus
„ homines, & regimina hominum erunt. Mediolani,
„ cùm intemperanter expeterent Pontificatum, qui-
„ bus expeditius fuerat abdicare sacrū honorē, quàm
„ obtinere, vetera quoque renouata sunt dissidia; nec
„ mirum interim, si in discordi atq; perturbata ciuita-
„ te, flagranteq; veteribus, & recentibus odijs commif-
„ sum fuerit aliquid, quo meruerint Apostolicas iras,
„ & horribile fulmen, cuius causam nunc in alios alij
„ conferunt, cùm vetius omnes de seditione ipsa
„ possint expostulare. Ac primò quidem, fluctuan-
„ tes, & attoniti, nec tantum ferre malum po-
„ terant, nec inueniebant remedia mali, ratioque, &
„ consilium, & mens propemodum ipsa sublata erat
„ ex ciuitate, quae secundum Romanam hanc maiesta-
„ tem sapientissima caeterarum habebatur. Postquā
„ adspexere lucem, & sui compotes fuere, praeterita
„ oderunt, damnant praesentia; & si venia data sit,
„ obsequium in posterum destinant eiusmodi, quale
„ ratum alibi erga Sedem Apostolicam viger, eiusque
„ rei pignus infelicem hanc legationem misere. Man-
„ data domo prius attulerant quae flectere quamuis
„ offensum animum possent; pacem, & errori veniam
„ petere, nihil vltra perituros ob noxam; adeo percul-
„ sos esse praesenti poena. Id modò satis esse ad leniē-
„ das iras crediderant. Verùm à porta vrbis reiecti, &
„ repudiati, efficacius etiam aliquid sibi esse dicendum
„ statuerunt, monitique etiam ab Rege meo, ne parces-

R r rent

„rent vlli verborum submissioni, communicatis inter
 „se consilijs, haec me Regium Legatum suo nomine
 „dicere Legati Mediolanenses iubent. Non adeo po-
 „pulum Mediolanensem insanire, vt ex eo, quod San-
 „ctitati vestrae semel visum placitumque fuerit, im-
 „mutare quicquam, aut si velint, posse confidant, aut
 „si forte possent, velint. Sed cum duo in ciuitate sua
 „summum honorem trahant, alterq; fauore partium
 „nitatur, alter Apostolico decreto; petunt à Sanctitate
 „V. suppliciter, vt perniciosam hanc dirimere hntem
 „velit, & vtrum eorum afflictæ ciuitati magis apu-
 „& salutarem fore praesidem videat, hunc integra
 „causa & negotio, Archiepiscopum declaret. Quam-
 „uis pro altero exarserint immodica studia, tantumq;
 „turbarum excitatum fuerit, pronunciata in alteru-
 „trum sententia, quietem fore pollicentur. Haec Le-
 „gati Mediolanenses dicunt, haec ipsa Rex meus,
 „quamquam difficile sit, vnus, ac tanti praesertim po-
 „puli praestare fidem, spondet. Sed hoc loco fortas-
 „se, vel Sanctitas V. vel aliquis eorum, qui in concilio
 „adsunt, tacite obijciat illud, quod mihi quoque, si
 „iudex auditorue sederem, in mentem veniret. Cur
 „igitur Mediolanenses isti suprema semel datum au-
 „thoritate pastorem reiecere, cur Apostolica decreta
 „rescindere sunt conati? Inuoluta suis malis ciuitas,
 „ciuile bellum, quotidianae caedes, rapinae per vr-
 „bem, agrorum vastatio, & arma penes eum, qui pa-
 „cis esse author debuerat, indeque maior in dies ani-
 „morum irritatio colluuiq; rerum omnium, vt ali-
 „quid

„ quid etiam in hoc negotio fortasse trillius ageretur,
 „ effecere. Nam, et si nihil in quenquam accusatorie
 „ dicere hoc tempore Mediolanenses velint, ut qui ad
 „ sese purgandum, non ad criminandos alios venerit;
 „ hoc tamen vnum expostulant, quod quae potestas
 „ in urbibus, religionis & concordiae causa comparata
 „ est, eam homines potentes, ad exitium, & odia, &
 „ quicquid humanae societati esse perniciosissimum
 „ solet, conuertere statim voluerint. Aduersus ea, si vi-
 „ cissim est tumultuarum, si non eos pontificios esse
 „ mores putauerit, ideoque iuprema tua, Pater Beatissi-
 „ me maiestas est violata, errorem deprecatur. In
 „ caeteris vero rebus, nisi Sanctitati V. praestiterunt
 „ omnia, quae a fidelissimis socijs, & amicis praestari,
 „ ius falque erat, non recusant, quominus hinc inauditi,
 „ & indefensi procul à conuentu sacrorum arceantur.
 „ Caroli copias per suos fines benigne atque hospita-
 „ liter transstrilere, cum aut impediendo iter, aut sese
 „ cum hoste coniungendo, potuissent rerum tuarum
 „ impedire cursum, & victoriam, qua nunc magni cla-
 „ riq; sumus, in cladem & ignominiam vertere. Iam
 „ enim sumplerant in nos arma qui sedis Apostolicae
 „ fastigium in sui diminutionem accipiebant, nec aliud
 „ eis ad impediendam expeditionem, quam socij fu-
 „ roris, defuerat. Subsidia quin etiam misere Ro-
 „ mam parati nobis ad alia omnia, quaecunque for-
 „ tuna belli poposcisset. Et, ut verbo depreca-
 „ tionem hanc meam expediam, Apuliae, Siciliae-
 „ que Regnum non staret hodie, nisi Turriani

R r 2 socia

„ socia nobiscum arma coniunxissent. Hanc igitur
 „ ita de sede Apostolica meritam urbem, ciuili nonni-
 „ hil diffensione lapsam, nunc ad obsequium redeun-
 „ tem, si receperis B. P. in Ecclesiae Catholicae gre-
 „ mium, nihil à tua clementia, & benignitate alienum
 „ feceris, idq; vt facias enixe Rex meus petit. Haec ab
 „ Regio legato dicta cùm essent, videreturq; Pontificis
 „ animus tali commotus oratione ad mitiora consilia
 „ concedendamque pacem inclinare; Napi Turriani
 „ legatus iussus dicere sic inquit. Nisi, Beatissime Pater,
 „ is esset habitus animorum in ciuitate nostra, vt, qui
 „ cum Apostolica Sede gratiae finis erit, idem sit vrbis;
 „ & nisi haberemus hoc à principe populoque nostro
 „ mandatum, vt si saluam esse urbem vellemus, paca-
 „ ti aliquid à Sanctitate V. referremus domum: profe-
 „ cto repulsi hinc, & eiecti retro vnde missi sumus, ab-
 „ iremus, consiliumque fortasse capientes ab ira, & des-
 „ peratione confugissemus ad eorum opes, qui pessimè
 „ me erga Romanum nomen affecti, foederi societati-
 „ que suae nos illigare frustra iam pridem conantur.
 „ Nunc, anteferentes quietia consilia turbidis, ac prope
 „ ponentes in gloriae lucro, si crescat Apostolica Maie-
 „ stas patientia quoque nostra caeteriq; deinceps hoc
 „ exemplo tardiores ad eam vllò modo violandam
 „ fiant, tentauimus extrema remedia, deprecatoresq;
 „ Carolum implorauimus, quem Regem, & salutis no-
 „ strae perspexisse cupidum videbamur, & nosse gratiae
 „ locum, quem apud S. V. isteneret. Petijmus autem
 „ ab eo nihil aliud, quàm vt sua leniret deprecatione
 „ si quid

„ si quid S. V. praecipuati in nos haberet ; utq; liceret
„ nobis apud æquas , & benignas aures promere quæ
„ ad defendendam Reip. nostrae causam finiendasque
„ controuersias attulissimus. Illius igitur beneficio
„ iam tandem in hunc locum admissi, ubi nos Dei Vi-
„ carius, & amplissimi viri Ecclesiae Cardinales audiunt,
„ Deo , & Ecclesia coram sancte haec atque religiose
„ pronunciamus. Si ambitione vlla mala , vel erga S.
„ V. contumacia tentauimus vnum potius habere Põ-
„ tificẽ vrbis nostrae quàm alium , Othoneq; repudia-
„ to Raimondum asciuimus ; precamur , vt cuius in eo
„ culpa flagitiumue fuit, ab eo iratus Deus expetat tã-
„ ti sceleris pœnas , nosq; siue priuatus homo ille, siue
„ magistratus, & publici consilij princeps fuerit, vltro
„ ad supplicium dedemus. Ciuitatem profecto ipsam
„ si quid publici flagitij aduersus Christi vicarium ad-
„ missum esset, odissimus, & quoniam, in patriam sac-
„ uire impium videretur, procul inde alium domicilio
„ locum quaereremus, neque in temerato sacrilegoq;
„ solo diutius moraremur . Verum enimvero, quò ma-
„ gis innocentiam in hoc negotio nostram Sanctitati
„ vestrae probemus , totiusque nostri facti ratio in hoc
„ augustissimo confesso testata sedeat eorum animis,
„ qui diuersam de nobis opinionem acceperere, dissidij
„ contentionumq; nostrarum initia paullo altius repe-
„ temus . Cùm Leonem Peregum infensa plebi nobi-
„ litas ad Mediolanensis Ecclesiae Pontificatum per frau-
„ dem extulisset, quasi non Pontificatus ei, sed infecta-
„ tio miseræ plebis demandata esset, ita cœpit factio-
„ sus

„us homo atq; turbulentus vexare ipsam iniurijs, o-
„pibusq; nobilium opprimere ita ne tollere caput ali-
„quando, neue superbis vnquam resistere dominis pos-
„set. Eo mortuo, cum manerent iacta olim semina
„dissensionum, iniuriaeq; quotidie atrociores fierent,
„& semel accensae principum mentes, nescirent po-
„nere aduersus partem inferiorem odia, quaesuit illa
„sibi suum caput, & in Turrianorum clietelam fidem-
„que confugit. Ac depellere superiorum temporum
„iniurias, & pristina iura vindicare orsa plebes ab eo,
„quod longe maximum omnium erat, longeq; gra-
„uissimum, Archiepiscopi creandi potestatem vi adé-
„ptam vsurpauit, dixitq; Raymondum. Hunc deia-
„de familiares ipsius, & amici, quia salutare id fore re-
„gimen sperabant, dum suis retinent opibus ac de-
„fendunt, exarsit altera factio studijs immodicis, Ar-
„chiepiscopoque Raimondo Septariensem opposuit.
„Ita, cum duo in vrbe partium fauore Pontifices
„essent, Urbanus Pont. Max. ratus id componi
„posse dissidium, si neuter eorum, sed tertius ali-
„quis rem Mediolanensem obtineret, haud dubie, Nu-
„minis in nos ira creauit eum Archiepiscopum, qui,
„sicuti priuatus maximas Mediolani seditiones exci-
„tarat ita, posteaquam summam turbandi licentiam
„est adeptus, ipsam delere patriam agitauit, meruitq;
„furore suo vt praeceps eijceretur ex vrbe, quam la-
„trocinijs, & omni clade vastabat. Si seruare patriam,
„& obuiam ire scelere scelus fuit, meremur tamen pœ-
„nitentia, & dolore, Sanctissime Pater, vt nobis igno-
„scas.

„ scas. Sed si facinora omnia, & pessimi conatus, tum
„ hominis ipsius, tum gentis ex qua prodijt, hinc ante
„ S. V. oculos iacerent, potius credo abominaretur
„ aeternos illos, non patriae modò suae, sed Apostolicae
„ quoq; sedis hostes, quàm calamitati nostrae succense-
„ ret. Familia est ea, quae saepe cum Romani nominis
„ hostibus impia iunxit arma, secutaq; Pallauicinum,
„ & Ezzelinum, effecit, vt vbiuis, quàm sub Apostolici
„ praesidij tutela certius esse per fugium, populi, ciuita-
„ tes, principes arbitrantur. Otho autem ipse, vt cae-
„ tera omittam, quae sacrilega, & infanda est ausus, no-
„ vissime coacta latronum, atq; sicariorum manu, Aro-
„ nensem etiam arcem occupare tentauit, si res ea pro-
„ cessisset, facturus ad vltiora gradum, & Italiae Re-
„ gnũ, sicuti videbatur, inuasurus. In eam namq; spem
„ & simul in Ecclesiae Romanae contumeliam, foro-
„ rem quam habebat, nuptum dedit homini haeretico,
„ desertori Catholicae religionis, atq; per eam coniu-
„ ctionem opportunis alijs ad id consilium sese necessi-
„ tudinibus illigauit. Sed, & parentes ipsius haeretici
„ fuerant, quorum reuocare sectam hoc matrimonio
„ praeclarus Archiepiscopus agitauit. Nos talia moli-
„ entem eiecimus, tutius arbitrati, prohibere scelus,
„ quàm sinere progredi eò, vt vel lege agendum esset
„ in patriae proditorem, vel capti ipsi seruitia prodito-
„ ris fieremus. Haec, Pater Sanctissime, summa nostro-
„ rum flagitiorum est, haec vrbis nostrae rebellio, prop-
„ ter quam arcemur sacris, & Ecclesiae communi-
„ onibusq; Apostolicae indignationis exemplum. Pe-
„ timus,

„ timus, vt, si aliena magis quàm nostram culpa deute-
 „ nimus in haec mala, siq; in tanto hominis vnus sce-
 „ lere consilijs vsi quam lenissimis sumus, & ex multis
 „ vindicandae patriae rationibus, quas nobis imperij
 „ licentia, & necessitas dabat, secuti sumus eam, quae
 „ cruenti ac saeui nihil haberet; si inquam, hae vt à no-
 „ bis memorata sunt, ita se habere Sanctitas V. com-
 „ periet, vt vincula demat vbi, quae sub legatorum
 „ nomine, strata hîc ad pedes iacet. Quòd verò ad Ec-
 „ clesiae nostrae Pontificatum attinet, nos quidem ac-
 „ quum censeremus, vt Otho hic abderet in aliquem
 „ sese locum, vbi lugeret superioris suae vitae flagitia,
 „ Catholicaeq; fidei rudimentis imbueretur potius
 „ quàm ad inficiendam praua religione florentissimam
 „ Italiae partem adspiraret. Sed quia non est modestiae
 „ temporisq; nostri definire quicquam, id vnum postu-
 „ lamus quod Sanctitati quoque vestrae credimus esse
 „ cordi, vt nempe detur nobis Archiepiscopus, qui di-
 „ uini iuris intelligens quietaq; mente regere tantae vr-
 „ bis populum sciat. Cùm ea legatus dixisset, lene mur-
 „ mur est secutum, & vulgò omnes, orationem eius-
 „ modi, quamquam verbis lenitatem imitaretur, fuisse
 „ re ipsa acerbissimam aiebant. At Otho, cùm ei sui de-
 „ fendendi facta potestas esset, neque natura infacun-
 „ dus, & accensus ira, meditato ramen inter ipsam ad-
 „ uersarij concionem temperamento, sic cœpit. Conui-
 „ cia, quæ à Turriano in me familiamq; meam coniecta
 „ nuper audistis, saepe ego aliàs audiui B.P. Auditores
 „ ornatissimi, patientiaq; & lenitate, qua perferre ho-
 „ minum

minum

» minum iniurias necesse est, pertuli cum ceteris iniu-
» rijs & omnium rerum indignitate, quas pati huma-
» nus animus potest. Nam gens ista, ex quo semel in ci-
» uitatem nostram accepta est, numquam desijt nomen
» omne Vicecomitum insectari probris, armis, atque
» odijs implacabilibus, quibus me ad extremum e pa-
» triae finibus ciecere. Sed vellem, aliquam saltem hu-
» ius honestissimi confessus, Apostoliciq; solij rationem
» habuissent, cuius violasse maiestatem videntur pro-
» teruita linguae, quam visam esse nimiam arbitror,
» etiam si quis fortasse praecipuo maledictis ani-
» mo, de nobis antea pessime sentiret. Mihi verò, pro-
» pter eam modestiam, quam à natura tributam ha-
» beo, quae sacrum hunc reuereri costum oportet, ne
» respondendi quidem locus est relictus, cum si respon-
» dere velim ac refellere dicta, necesse habeam idip-
» sum imitari, quod in legationis istius irreuerentia vos
» esse abominatos scio. Nec magnopere tamen ange-
» rer hisce verborum contumelijs, quas contemnere
» decet peritum humanae consuetudinis & assuetum
» omni rerum varietati, nisi facta verbis essent atrocio-
» ra, quibus ne remedium quidem inueniri vllum po-
» test. Atque, cum tam acerbae insectationis, neque iu-
» stam, neque probabilem vllam causam habeant, non
» possumus animi nostri dolorem illo saltem infelici
» lenire solatio, quòd non immerito haec mala patia-
» mur. Odere familiae nostrae splendorem & imagi-
» nes, antiqua nouaq; decora, & nomen ipsum nobili-
» tatis, quam virtute maiorum partam nobis eiurare

» non licet. Hanc nostram veluti culpam insectantur,
 » quodq; in vrbe honeste staremus, nec essent vllae for-
 » des, quae nobis exprobrari possent, idipsum illi ty-
 » rannidem appellant, Vicecomitum gentem dis-
 » cretam in mille domus, veluti noxium vnum ac vile
 » caput è patriae mœnibus exturbauere. Quicumque
 » natalibus honestis honeste gloriâmini, contempti &
 » violati estis in nostra iniuria. Nullam plebeij homi-
 » nes esse nobilitatem volunt, tollunt e ciuitatibus om-
 » ne discrimen, & ea, quae Caesares virtuti vel fidei fa-
 » miliarum indulgere, abrogant auctoritate sua; donec
 » aequata summa infimis videant, conuiuiscere non
 » possunt. Oro & quaeso, B. P. ignoscas huic meo do-
 » lori, si diuinis tuis occupationibus longiorem fortas-
 » se de Turrianorum iniurijs, & mearum rerum condi-
 » tione querelam inferuerò. Mediolani ante Turriano-
 » rum aduentum, fuerant ordinum collegia metu ple-
 » bis aduersus potentiorum opes instituta, maximum
 » ciuilibus concordiae vinculum; cùm scilicet pars altera
 » tardior ad iniuriam, altera sic modestius ageret. Im-
 » miscuit sese Turrianus, & quasi nouus Reip. nostrae
 » moderator, magisterq; morum in aliena vrbe, dicti-
 » tans ea Collegia seditiosum esse negotium, atque in-
 » de aliquando coniurationem fore, sustulit caetera;
 » Credentiae vnum reliquit. Is fuerat pessimae turbæ
 » cœtus tuendæ libertati specioso nomine, postea ver-
 » tit in seruitutem dedecusq; patritiorum. Nam cùm
 » sese Turrianus huic cœtui caput apposuisset, in tan-
 » tum creuit opibus & audacia, vt omnia, quae turbu-
 » lentis

» tentis illis decreta consilijs forent, siue pax, siue bella
» tractarentur, fixa & rata esse apud omnes oporteret.
» Mox quaesitam Credentiae nomine potentiam au-
» thor idē asseruit sibi, totamq; nobilitatis insectatio-
» ne consumpsit. Vastati agri, direptae domus, incen-
» dia, rapinae, caedes, & alia, quaecunque barbarus
» hostis, capta post diuturnam obsidionem, vrbe, face-
» ret, illata nobis à Turriano; nostrum ea Regnū, nostra
» tyrannica dominatio fuere. Ne Sacerdotibus quidē &
» Ecclesiae pepercit furor, si quis ibi nobilium esset; ac
» praecipua semper in Pontifices violentia, Leonem
» Peregum deiecere loco, deiectumq; peremere longa
» calamitatum tabe. Non enim vt caeteri, satiare iras,
» & explere odia satis habent; sed totum haurire san-
» guinem volunt, infandisq; velut epulis assueti, me
» nunc profugum & extorrem ferali sua fame confec-
» tantur, & hic ante S. V. oculos quasi cum ipsis absor-
» bere vestimentis nuper tentauere; criminibus & ma-
» ledictis onerarunt quibus confiderent effici posse, vt
» ne misericordia quidem vllius in meo tali casu taliq;
» spectaculo moueretur. Cepi fateor Aronensem arcē,
» sed neque vt patriae Regnum inuaderem cepi, neque
» sicarij latronesue mihi, sicut isti criminantur, ad eam
» rem adiutores fuere, Potius autem amicorum praesi-
» dio meam vicem indignantium id intraui castellum,
» vt Apostolica decreta coaspnantes aliquo subige-
» rem terrore, statueremq; si possem exemplum, nequis
» in posterum populus Romana venientem authorita-
» te pastorem repudiare auderet. An ego, cū summi

» Pontificis nutu, Cardinalium omnium approbatio
 » ne, Archiepiscopus Ecclesiae Mediolanensis essem
 » renunciatus, primoq; statim ad meum illud pastorale
 » munus ingressu repudiaret eijceret, tantam Apostoli-
 » cam sedis & meam contumeliam ferre tacitus potui?
 » Profecto culpam & dedecus aliquod esse meum ho-
 » mines arbitrarentur, cuius conscientia quietem age-
 » rem ignominiosam, neque familiae nobilitatem, sed
 » hominis displicuisse vitam, ferret fama, quam scilicet
 » alerent hostes mei, tantoq; magis insultarent. Insul-
 » tant enim parentum quoq; meorum ossibus & cineri,
 » neq; pacem, & quietem esse mortuis eam sinunt, quã
 » ipsius naturae tacitae preces possent à feris etiam im-
 » petrare. Scilicet haereticos fuisse cauillantur, cum &
 » religiosissime vixerint, & in vitae termino, sepulturae
 » sibi locum elegerint quã communi cum caeteris Ca-
 » tholicis iure sacra precesq; piorum exsuiuae mortales
 » ad aeternam animi salutem exciperent. Sororis verò
 » meae virum etiam eodem incessere probro sunt ausi,
 » cuius & vitae genus, & ipsam domicilij sedem lon-
 » gissime ab eiusmodi suspicione criminis abesse omnes
 » sciunt; neq; ego factã hanc illi nunc iniuriã cõqueror,
 » vt refellam cõuiciũ, quod spretum exolefcet vanitate
 » sua, si defensionem suscepero agnitum esse videbitur.
 » Tãtũm dicam, homines hostes sacrilegos & impuros,
 » spoliatores templorum, sedis Apostolicae rebelles,
 » notosq; per Italiam fama crudelitatis & auaritiae ra-
 » bie quadam esse concitatos, vt neque viuis parce-
 » rent, neq; mortuis; & cum Sanctitatis V. imperium
 spre.

„ spreuissent, nos in obsequio perseverantes capitali-
„ bus & inhumanis hisce modis insectarentur. Itaque
„ sapientissima mens Urbani, qui proxime sedit in isto
„ fastigio remedia sanãdis animis extrema tẽtarat vsus
„ fulmine, quo patriam nunc meam afflatam, defor-
„ memque video. Sed furiosi homines, qui neque in
„ vita famam verentur, neq; post mortis tempora su-
„ peresse quicquam putant, duritie animorum impene-
„ trabili contempere caelestem iõtum, & nihil hoc
„ esse putant, quòd procul ab Ecclesiae liminibus ar-
„ centur. Neque illi sua sponte ad petendam S. V.
„ pacem huc venerunt, neque, si, quod petunt impetra-
„ riat, postea sunt imperata facturi, mansuriue in eo,
„ quod nunc in omnem compositi simulationem osten-
„ dunt promissis inanibus & comploratione meditata.
„ Voces liberæ populi, & fortes eorum querimoniae,
„ qui nollent carere sacris, hanc imposuere necessitatẽ,
„ vt mitterent legatos; & parere Pontifici Maximo
„ nulli pertinacius abnuunt, quàm qui maxime simu-
„ lant. Nec in Regem Carolum ijdem hospitaliter, &
„ amice quicquam fecerunt, quia id Apostolicae Sedi
„ fore gratum scirent; sed falso credidere, suis benefi-
„ cijs deuinctum cum adiutorem fore sibi ad patriae
„ regnum obtinendum, urbemq; deinceps omni secle-
„ re, & crudelitate lacerandam, sicuti fecere cùm am-
„ plius quingentos oneratos ficti criminis inuidia, secu-
„ ri percuterent, impositaq; carris corpora exportari
„ iuberent illuc, vbi laniamenta canum & coruorum
„ fuere. Erat in eo conuentu profugus ex tam atroci
caede

caede nobilissimus Mediolanensium, qui confossus vulneribus, non totam cum plurimo sanguine vitam effuderat, ad simulataque tantisper morte, ubi tutum fuit, se se prostrauerat ex aceruo, & seruatus amici fidelis cura, firmo post aliquot dies ad iter corpore peruenerat Romam, ibique multos ob spectatam claritudinem ad misericordiam sui casus allegerat. Is memoria cruenti sui discriminis, & cicatricum dolore Turrianis infensus parantem plura dicere Othonem interpellauit, & quamquam absurdum id omnibus visum, tamen aures praebuere, cum nouam ipse concionem ordiretur. Summa fuit; se tyrannorum saeuicia multis in mortem vulneribus adfectum, ex illa strage veluti diuinæ potentiae miraculum adesse, viuuum cadauer, exangue corpus, & sicuti arbitraretur, tenui spiritu, modicaq; voce in id relicta, ut Romae in ipso orbis terrarum & Ecclesiae theatro inhumani facti esse testis posset. Caesam ab Turrianorum factione Mediolani nobilitatem vno ictu, vacuas domos aut orbatas, urbemque manantem adhuc sanguine totam eorum esse, qui pessimum facinus fecerint aliena manu. Respiceret sacrorum princeps, cui rerum humanarum arbitrium, & cura credita esset, eum casum, & si quid posset remedij ad Metropolitim excitandam admoueret. Haec & alia vir Mediolanensis cum diceret, accenderetq; fletu prope tragicum in morem, moti sunt omnium animi dolore, & miseratione, & ira; neque legati in praesentia responsum datur. Abire confestim iussis ex aula

Con-

Concilij sententiae patrum rogari coepta. Vna vox
omnium fuit; veteres quoque Mediolanenses, id egisse,
vt nomen vrbemq; suam, contemptu Romanae
maiestatis nobilitarent, & nunc rebellium parentum
infensam prolem, vestigijs insistere maiorum suorum,
imbutas civili sanguine manus Episcopis suis intente,
prope bellum inferre Pontifici Maximo, &
quamquam nunc simulent imperata facturos, tamen
vbi metus animis decesserit, contumaciam, defectio-
nem, vim, dolum antiqua vrbis mala reditura esse;
magno aliquo exemplo coercendos videri. Haec,
& alia Patres iactabant in vrbem Mediolanum, haud
dubie proni in Othonem, qui vetus Aulac erat, &
in eius causae iudicium facile parare sibi potuerat
gratiam apud omnes, & fauorem; Legati deinde
rursus in Senatum vocantur, vbi, cum iratos
vultus & infensa omnia viderent, ommissa defen-
sione id tantummodo dixere; statueret Princeps,
iuberet quicquid ei videretur, ciuitatem omnia factu-
ram obedienter. Othonem haud fallebat, attoni-
tos praesenti rerum statu legatos, obnoxia haec ver-
ba pronunciaisse; domum vt rediissent, memorem
plebem inimicitiarum, ipsosque memores irritae,
vel potius ignominiosae legationis, nec pacati quic-
quam fore. Tutius esse nihil in tam suspectis rebus,
quam si per Apostolicum Legatum in patriam redu-
ceretur, idque à Pontifice Maximo contendere coepit
ardentis animi vir, & ad ea, quae semel destinasset,
nusquam

nusquam segnis. Dum haec Romæ aguntur, Mediolani, minime otium erat. Verla in Ticinenses arma; capta mox communita Vigleuanum, & aduersus Conradinum, atque Palauicinum, cum Theutonica multitudine armatos in Catholicae Ecclesiae damna, fœdus initum, quo Longobardi nominis ciuitates, urbem Romam, & Metropolim hanc exemere vastitati, quam coniurati cum barbaris domestici hostes inferre parabant. Dein siccate laboratum; ex qua caritas annonae, primò, deinde fames orta donec obtinere supplicantium agmina largos imbres, horreaque sunt aperta, queis auari, & opulenti frumentum occultarant, elusas ob eam caelestem iniuriam anni sperati. Annus hic erat salutis nostrae sexagesimus octauus, supra millesimum ducentissimum, quo anno Carmelitae Fratres ordini suo domicilium in vrbe collocauerunt, seruauique memoria paruum illud fortasse dictum, sed nobis in origine monasterij notanda, minime praetermittendum. Quippe, cum primam hostiam immolarent, fecisse sub dio, & postea per aliquot inde dies, fixum sacrificij causa tentorium habuisse. Eodem anno, Mediolanum venit, Caroli Siciliae Regis vxor, ingens vrbi gaudium, ob suam, & mariti claritudinem, & quia magna plebi spes in Carolo, posse per eum, Othonem arceri Pontificatu, placarique Summi Pontificis animum. Accepta est Regina congestis in eam honoribus, quales adulatio publica parare principibus nouit, qualesue in tam ancipiti certamine parati
tempus

tempus monebat. Praecipua studia Turrianorum
fuere; totaq; domus in prodigos sumptus effusa, tam-
quam aduersus inimicum id Regiae gratiae praesidiū
emerent, & quasi persequerentur. cum hoc etiam
conatu. Ad xv. Cal. Sept. eum de Reginae aduentu
nuntius acceptus esset, Turrianus, omnium primum,
per cuncta urbis loca proposuit, domi suae in pro-
patulo epulas fore; rogare summos infimosq; ut se-
cum vna celebrare lactitiam, & geniales illos obire
dies vellent; se quoque in amicorum Penatibus paria
facturum. Adeo grata populo, Turriani liberalitas
fuit, ut pleriq; sequerentur exemplum, & positis in
publico mensis epularentur iuuitandae multitudini,
quae passim laeta discumbebat. Ordines quoq; sa-
cri cum caetera turba suis fulgentes insignibus ob-
quam processere, acceptaque est Regina, quantā Re-
gum vix vniquam vllus magnificentia, & celebritate.
Pretiosam duodecim hastis erigebant vmbellam, co-
ridem è plebe concolore vestitu praepotentes viri;
submouebant alij turbam, neq; splendor abfuit vl-
lus, quem in tali tempore rudis alioqui ad eiusmodi
apparatus aetas potuit, vel rerum copiā, vel artificū
ingenijs exhibere. Post Reginae discessum etiam,
equestres ludi, militaresque decursus, & armatae sal-
utationes exhibitae, quasi priora non fuissent in praesentem
feminam adulatio. Et Franciscus Turri-
anus, Napi frater, cum populum in D. Ambrosij Ae-
dem conuocasset, praefatus pauca de fortuna tempo-
rum suorum, & felicitate urbis, cui nouum illud ex

c. m. d. d.

T r Reginae

Reginae hospitio columen obtigisset, dixit, placere sibi propter eius rei laetitiam equites creare clarissimos ciuitatis. Creati plebeij ferme; torques, & vestimenta multis data. Fiebant haec omnia sicuti dictum est, arte Turrianorum, ut sponsa, cum deducta foret ad Regem, honores, & studia in se populi Mediolanensis extollendo traheret maritum in partes, idque praesidium aduersus Archiepiscopum Othonem haberent. Interea Romae, Otho circumeundo principum domos, & Vaticana limina frequentando, tenuerat, ut decreta in id ipsum legatione, Mediolanum absque mora deduceretur. Venit legatus ineunte Decembri cum summa potestate, tribusque mandatis in ciuitatem, si ultra contumax foret. Verum efficaces in praesentia minae denunciationsque periculorum paulo post ad irrium cecidere, secuta Pontificis ipsius morte, quae, sopita, vel dissimulata paulisper in Othonem odia rursus accendit tamquam extincto uindico, pactorum quoque sublata fides esset. Data fides autem haec erat; Turrianos fore cum bona pace subiectos & obediens Archiepiscopo relicturos: Ecclesiastica bona, quae licentiam temporum inuasissent: Ecclesiam ipsam passuros esse immunem ab oneribus, & tributis, quae quotannis in fiscum ob Reipublicae necessitates, ob bella, & varios usus exigentur. In has fere condiciones dempra vincula urbi, & data pax, quae, sicuti arbitror, nequaquam rata esse debuit apud superiores, quia plebes, in eo quod promisserat non manuit. At profuga nobilitas, ubi, nec recipi Othonem,

sem, & decessisse Pontificem, alteriusq; obitu, alterius eiectione, duo columnina rerum suarum amissa esse videt, Francinum Burrum in Hispaniam ad Castellam Regem mittit. Regi dominatum urbis offerentes, petebant, ut coercendae plebi vim suam admo-ueret; eam immodicis elata opibus, pellere Archiepiscopum, iussa Romani Pontificis aspernari. Castellano pulerum imperijq; sui magnitudine dignum videbatur, fauere nobilitati, capessere tanti nominis urbem in Italia; semperq; regiae fuit artis, benigne auxilium offerendo, quaerere famam ad externos, & per speciem alienae fortunae defendendae proferre suos fines. Ea benignitate sexcentos expeditos equites in Italiam destinavit, ipsumque Burrum ornavit donis. Sed superis cordi non erat, Hispano tunc Imperio res Italas assuesse, maximeque dominatus principium inhibuere, ut suo postea tempore miraculifastus esset. Regius equitatus ille, cum nobilium adiunctus equitatus, moenia circumveniret, Turrianus obviam egressus, levi certamine, reiecit hostem, indeque nova in patricos ira, quod externa arma in Italiam accivissent: Ita, res & arma plebis quotidie magis adversus Archiepiscopum adhuc nualescebant; rebusque multum incertis, & nulla bona spe exul Otho vagabatur. Adhuc domina rerum omnium erat plebes; neque cum finitimis bella neq; domi pacem infeliciter administrabat. Castellum in agro Cremonensi receptaculum haereticorum (Mosanica nomen) expugnare, alienae religionis cura, cum

suum ipsi Pontificem eiecissent. Id antea fuerat Ag-
 gidij cuiusdam auita possessio; postea liberalitate po-
 puli, Dominicanis cessit, qui contra fidei desertores
 inualida concionum autoritate, fortius id ab Rep.
 remedium implorabant. Cum Laudensibus, ob vete-
 res, & nouas inimicitias prospere dimicatum; inde
 facta pax, magnarumque fama rerum, ingentes, &
 clari plebeij binas ab Siciliae Rege litteras accepere;
 male cum Saraceno pugnatum esse, grauem, cladem
 accepisse Christianos; nisi quid in Mediolanensi Re-
 pub. foret auxilij, grauius periculum imminere. Vi-
 cissim ipsi Cremonam misere legatos ad Philippum
 Galliae Regem, qui moestitiam eius ob Ludouici pa-
 tris obitum consolarentur; simul peterent, vt ex iti-
 nere Mediolanum veniret. Id ad vrbis pertinere
 dignitatem & famam; & patrem eius socium, ami-
 cumq; populi Mediolanensis fuisse. Non erat fortè
 deuium Regi; cumque venisset, deducitur ad P. N. in
 aedes Raimondi Turriani Nouocomensium Episco-
 pi, quà nunc Franciscani Minores laxissimam aedem
 tenent. Ibi Mediolanenses eum, xenijs, & donis, &
 omni publica, priuataque gratulatione coluerunt, eà
 dem videlicet arte, qua paulo antea Siciliae Regina
 deuinxerat aduersus exulem Archiepiscopum, nihil
 praesidij satis vnquam esse paratum existimantes.
 Volebat populus vsurpare priscum adulandi Regibus
 morem, & hospitali munificentia dominantibus
 alijs æquiparari. Inde ad exornandam urbem, vclu-
 ti suam auersi, dirigere ad lineam spatia viarum, exco-
 lere

lere templa magnifico ornatu, quaeue per eos annos
 labefacta, vel collapsa restituere aggrediuntur; cum
 subito affertur varijs primo sermonibus, vt assolet, de-
 inde certis ad Turrianos nuntijs, atque litteris ami-
 corum, Theobaldum Vicecomitē Ecclesiae Lugdu-
 nensis Archipresbiterum, congregatis rite patribus
 Pontificem Maximum esse renuntiatum; nouo no-
 mine Gregorium x. appellari. Ea res grauiter peneu-
 lerat plebem, principesque plebis; Othonem contra,
 & nobilitatem vniuersam crederat spe, gaudio, sinēq;
 tandem fore malorum inter se gratulantes aiebant,
 quandoquidem sanguinis factionisque suae Pontifi-
 cem haberent. Sed nescitur, quinam postea casus,
 quodue consilium, tantopere Pontificis eius animum
 immutavit, vt ab defendendo suarum partium, & sui
 generis Othone, penitus ad causam defensionemque
 plebis, & Turrianorum auerteretur. Fortasse luberat
 antiqua & occulta quae piam in suos ira, quam sic vl-
 tum iuic; ipseque fortasse Turrianus, perspecto Vice-
 comitis huius animo, quò sua sponte vergebat, traxit
 precibus eum, & gratia, caeterisq; magnae fortunae
 machinamentis. Tanta certe facta est immutatio ex
 eo quod futurum esse plerique omnes autumabant,
 vt, & Pontificis ipsius frater Mediolani praetor
 crearetur, & Romanus, ne beneficio victus videretur
 à ciuibus suis, ad omnia quae vellent illi,
 se se postea facilem praerberet, oblitus interea ex-
 torre Vicecomitum nomen, auita stemmata, de-
 seritq; nobilitatem, quae, suo, sicuti crediderat fau-

tore

tore ad summum rerum humanarum fastigium eue-
 cto, sustulerat manus. Non tamen ea, Turrianus per
 superbiam accepisse videri volebat; sed quanto feli-
 cius negotia succedebant, intentior firmandae poten-
 tiae, omnia diuini esse muneris identidem praedica-
 bat, gnarus, famam religionis in principe magnum
 esse firmamentum Imperij; & quò plus fidei talibus
 dictis esset, addebat modestiam, ac quietatem, & in
 omnibus rebus paria facta. Anno postquam Vice-
 comes Pontificatum Maximum acceperat, in eun-
 cum praeter expectationem, id sibi, populoque Me-
 diolanensi bonum, felix, faustumque esse Turrianus
 videret, quasi remunerans caeleste beneficium, insti-
 tit nouis urbem temperare legibus, quae spectare sin-
 gulae viderentur aequalitatem inter homines, & Dei
 cultum, vel si quae his interiecta pertinerent ad con-
 stituendam Reipub. formam maxime salutarem, ac
 duraturam. Et quia nihil attineret praeclaras de-
 scripsisse leges, nisi esset ipse legum obseruandarum
 exemplum, iurauit in celeberrimo conuentu grauif-
 simum iusiurandum, se absq; vlla cura, quae flectere
 à recto animum posset, Rempublicam Mediolanen-
 sem esse administraturum, eamque summam fore
 consiliorum, actionumue suarum, vt Deiparae Virgi-
 nis nomen, & Parens Urbis Ambrosius, & Ecclesia-
 stica res vniuersa, qua decet religione colerentur.
 Id in singulos annos reuocari Sacramentum placuit,
 eaq; prima lex dicta; caeterae deinceps in hunc mo-
 dum fuere, quas quidem memorari pertinet ad Ec-
 clesiasticam

clerasticam hanc curam. Praetor Urbanus, quae de-
creta, quaeue leges, plectendis, aut sanandis haere-
ticis antiquitus habentur, ea decreta, easue leges re-
ligiose, atq; inuolatè custodito. Parricidas omnes
capite plectito. Postquam magistratu abierit, ad
quintum decimum diem in Vrbe maneto, vt, siue cle-
rico, siue populari quicquam debebit, appellandi po-
testas fiet. Aleatores punito lenoniam artem,
quaestusq; meretricios prohibeto. Franciscanis Mi-
noribus annua quingenta aeris pondo curato, donec
sacra turris, quam inchoauere fir ad fastigium per-
ducta. D. Ambrosij festum diem religiose populus
colito, eoque die ciues ad aram maximam sistunto
dona, cereum, & frontale quae vrbis magnitudine
sint digna. Si quis Dei, caelitumue nomina irreuerè-
ter vsurparit, in impium illum esto mulera, prout erit
status, & conditio vitae. Haec ferme religionem
& Ecclesiam attingebant; pleraque alia fuere con-
stituendae Reipublicae vitaeq; communi, qualia, vel
quilibet alius mistus è civili prudentia, Christiana-
que pietate principes excogitare potuisset. Scriptis
in hunc modum legibus, & ordinata Republica Prae-
tor Vicecomes Romam est profectus, vt nouam fra-
tris fortunam viseret; ac de Mediolanensis Ecclesiae
pontificatu preces, & mandata Turrianorum afferer,
in sensus Othoni, non propria vlla ira, sed quia bene-
ficia, vel iam ab illis accepta, vel in posterum spera-
ta, gerere alienum animum cogebant. Haud mul-
to post legatio Turrianorum iuit, specie gratulatio-
nis,

ais, aduersus Othonem missa, quod caput hoc tem-
 pore curarum omnium erat. Hoc anno circumuoli-
 rancia papilionum agmina prodigium fuere, quod
 secuti postea casus, & aduersa Turrianorum fortuna
 comprobauit. Sed aliquandiu laeta omnia ciuitatem
 auerterant ab tristi omne; secundaeq; res in praesen-
 tia, sicuti fit, nequaquam anxias esse futuri mentes; ho-
 minum assuefecerant. Publicae laetitiae pars fuit,
 quod Eduardus Angliae Rex cum Elconora coniu-
 ge domum proficiscens, Mediolanum venit, & iam
 assueti Regum hospitij Turriani, suis, & ciuitatis uni-
 uersae opibus, Ecclesiae quoq; gratulatione venien-
 tem accepere. Quidquid in vrbe sacrorum ordinum
 erat, obuiam procedunt, eaque non minus grata fuisse
 regijs animis perhibetur pompa, quam reliqui opu-
 lentae vrbis apparatus, equites, arma, ludij, & in mil-
 le concolores vestitus, auri, gemmarumq; certamine
 discreta ciuium multitudo. Mox Gregorius ipse ad-
 erat Lugdunum transcendens Concilij causa, quod in
 eam urbem ad vindicanda Hierosolyma indictum
 maximo procerum concursu celebrabatur. Ea laetus
 occasione Turrianus, Placentiam vsq; mittit obui-
 am Pontifici maximo rogantes legatos, ut pro digni-
 tate, ac salute vrbis Mediolani, facere breuem itineris
 moram, & se se patriae permittere adorandum vel-
 let. Neque abnuit ille quasi cupiens cognoscere sta-
 tum rerum, componere ciuium iurgia, & fore esse
 mortalitatis fines egressum se inter suos adspici na-
 turali desiderio gestiebat. Fecerat se partem Pontificij
 comi

Comitatus itinerisq; socium Otho Vicecomes, non dubia spe fore, vt sub tantae maiestatis vmbra latere incolumis posset, atq; nunc arcendi sui verecundia, quamquam apud infensos oriretur. Is perspecta Pontificis in partem aduersam inclinatione horribiliq; attonitus diligentia Turrianorum & arte, vereri coepit, ne parum sibi prodesset id, quod antea fore tutissimum existimarat. Audiebat quoque fremitus, & ex vicino minas, & haud dubie vim parari. Itaq; dissimulato apud Pontificem animi sui dolore ob res aduersas, infidamq; caritatem cognominis, à quo ille postquam summum honorem accepisset descivisse per superbiam videretur; id modo cum dixisset, cernere se veteres turbas, audire strepitum armorum, insanabilem esse patriam; abiit Ticinum, vbi studia pro ipso indignantium, ac si sumere bellum vellet, parati auxiliares erant. At Gregorius, nulla exsulis cura in Turrianos effusus, ab vrbe Placentia, laudem Pompeiam, inde Viboldonam, postea Mediolanum peruenit; & ingrediente Romano, fuit pompa, qualis debuit esse in vrbe, quae suspenso certaminis euentu, propter ipsum rei totius arbitrum, iam pridem etiam alijs omnibus adularetur. Sed praeter certamen, & in Othonem odia causas adulandi, suberat gloria & caritas in ciuem, quem merita in eum locum extulissent. Et quo magis ipsum admirarentur, fecerat ea res, quod ex inimica factione fautor repente plebis extitisset. Vehabatur lectica, ne fatiaret adspectum, ab dextero tantum latere obuius, & apertus effusae

V v

ad

ad spectaculum multitudini. Cardinales cum seque-
bantur, quos ipse delegerat ob veterem amicitiam,
aut recens probatos; erantque, vel apud Pontificem
gratia, vel suo nomine praecipui; Ottobonus Flis-
cus, Bonaventura Franciscanus, & Vicedomus qui-
dam. Rectà diuertit in aedes Ambrosianas, vbi tri-
duum moratus, neque indulgit ciuitati quicquam eo-
rum, quae, vel ad animi fructum, & religionem, vel ad
Reipub: dignitatem indulgere Pontifex Maximus
posset, neque in conspectum suum admittit vllum,
praeter Turrianos, & Praetorem, qui Cardinalis
Ottoboni sororem in matrimonio habebat. Credi-
tum est, ad exasperandos in Othonem Archiepisco-
pum animos, inuidiamque augendam id pertinuisse,
vt, & iam inimica plebes, & obstinato fauore nobi-
litas, cum Pontifici quoque maximo displicere cau-
sam intelligerent, persequerentur tanto magis exsu-
lem, aut languidius in posterum fouerent. Ita commo-
tis omnium animis, atque, vel attonitis metu, vel ge-
stientibus laetitia, ob Romano praesidio exutum ho-
stem, Gregorius ex vrbe discessit. Ac ne dubia foret in
plebis causam eius propensio voluntatis, Raimon-
dum Turrianum pauló post Aquileiae Patriarcham
creat. Episcopus hic erat Nouocomi, sicut antea
demonstrauimus, opesq; à maioribus acceptas auxe-
rat Ecclesiae illius possessione, quae sicut alij per Itali-
am Pontificatus, vix iam vllam splendoris antiqui
partem seruat. Ac supra fortunam etiam nouus Pa-
triarcha gerens animos, cum ad capeffenda honoris
ba v V pri-

primordia proficisceretur, legeretque comites, & familiam, vsus est arte, qua factionis aduersae, vel studia conciliaret sibi, vel arcana, & consilia omnia cognita habere posset. Legit enim patritios fere iuuenes, qui è numerosa ditium olim familiarum sobole, desides vagarentur, & in exilij calamitate negotium aliquot, compendiaq; honesta cogitarent. Iuuenes fuere sexaginta, suo, & equorum ornatu conspicui, primoque pubescentes etatis flore, qualis vel esse regia cohors ephœborum posset. Quinquaginta deinde equites aurati, qui singuli quaternos equos, armigerosque singulos habebant; praeterea leuis armaturae quingenti, cataphracti centum, quos è Cremonensi robore conscriptos, Turriana gens addidit Pontifici, praesidium simul & ornamentum. Eo comitatu Patriarcha Turrianus iuit, qui sane Patriarcha, quamquam absens, nō leue factionis erat momentum, ob splendorem, ob honores, veteres, aut recentes, acceptosque, vel omisos. Namq; Nouocomensem Ecclesiam initio adeptus, postea renuntiatus Archiepiscopus, cesserat Vbaldieni Cardinalis voluntati; nunc verò tantae dignationis Pontificatum obtinebat. Huic tam promptae summi Pontificis voluntati, tantisque beneficijs erga Turrianos, contraria mox affertur fama Mediolanum, urbem interdictam esse sacris ob interceptos Ecclesiae fructus, & repudiatum Othonem, eique famae congruentes litterae paulo post insecutae. Sed neque famae, neque litteris habita fides, quia verisimile non erat

Pontificis animi tantam factam esse mutationem, ut ad extrema illa iura deueniret. Othonis fortasse corruptela & arte ministros Apostolici tabularij finxisse mandatū, ausosq; scelus, ut ad plebem exterrendam Pontificias illas litteras ementirentur. Haec Mediolani credita, vel certe quasi crederentur, accepta, securam ab Apostolica denuntiatione ciuitatem praestitere, neq; vlla interim parte, munereuē sacrorum abstinebant. Verūm orta per eos dies noua in vrbe seditio, multiplexq; metus, & repentina tanquam è caelo mala, credere coegerunt ciues anathemate vero, non ficto sese percussos, laborare superum ira, furoremque saeuientium in semetipsos, haud dubie poenam temeratae ciuitatis esse. Actanto magis in religionem versa res est, quia, non initium, non causa tumultus vlla patuit, sed quasi stimulantibus furij ad arma repente discursum; nec aliud, quā ferrum, & sanguinem turbatis vna cum mente oculis videbant. Hora diei erat fere tertia, strepitus & quies in vrbe, qualis vbi ad suum quisque negotium tendit, cum subito districtis gladijs armorum globi feriunt feriuntur, clamant, excitique rei nouitate principes ipsi Turriani Napus & Franciscus, cum ad sedandam multitudinem accurrissent, satis habuere, si declinare imperum possent. Vadunt inde trepidi multis insequentibus in D. Teclae; fit in eam aedem maior per singula momenta concursus; familia tota principum armatur. Interim ex Ambrosiana turri campanum aes citatissimo sonitu perstrepebat, ut etiam imbelles

&

& quieti ad spectaculum e domibus excirentur, mox ipsi quoque spectaculum fierent, in phanaticam illam abrepti pugnam, vulneribusque foedati. Irrupisse hostem, proditam urbem, finemque adesse Turrianis, non nemo fatalem esse rabiem, immissamque Numinis ira, gementes inter tela & gladios aiebant. Turrianus tamen, ubi quieverant animi, quasi nihil ultra civilem tumultum fuisset, auxit custodias, noua sibi militum praesidia circumdedit, & ducentos fere proseripit a quibus initium ortum fuisse turbandi suspicio erat. Ingens materia civilibus malis, quodq; seditioni remedium Turrianus quaesierat, id ipsum irritabat animos, ut rursus in mutuam perniciem armarentur, nisi rediens ex Gallia Pontifex Max. opportune in tali tempore Mediolani substitisset. Ad famam aduentus eius quicquid primo, dein ut intrauit urbem, in super verecundia praeteritorum fuit. Quippe meminerant, nuper etiam iratum exisse, & quamquam Turriani sibi fauentes humano more, Pontificis indignationem ad hostium potius pertinere damna interpretati fuerant, tamen suberat conscientia, turbasse ipsos certaminibus urbem, & patritij de se id ipsum fatebantur. Ita omnes longe diuerso animorum habitu, quam ut in civili bello, se se ad Pontificis aduentum, quietos atq; compositos in poenitentiae faciem praebuere. Et ille, miseratus credo patriae suae consternationem, omnia quae prius adstricta tenuerat, effudit, urbemq; beavit caelestibus indulgentijs, alloquio facili, & benigno in publicum vultu. Credebat

debat

debatur inuenturus esse certamini finem autoritate
 sua, vel conciliatis inter se partibus, vt Archiepisco-
 pum eundem vellent, vel Othone inducto, ne per ac-
 ternas patriae clades negatum appetere honorem
 pergeret. Sed antequam Romam perueniret, mor-
 tuus, spem eam fefellit; suisq; turbis relictis Mediola-
 nenses, magis quàm antea laborabant intestino ma-
 lo, bellis externis, quae, vt saepe aliàs occasione tur-
 batarum domi rerum accendebantur. Valida Hi-
 spanorum manus ad caeteros hostes addita, pontem,
 quo Ticinus iungebatur, deiecto praesidio, cum ce-
 pissent, excurrere inde in agrum Mediolanensem,
 inde Mediolanum parabant; cohibitiq; ab Alber-
 to Praetore, & dissipati, villarum iam incendijs, &
 per furta potius, quàm iusti more belli conabantur,
 si quem possent sibi aditum in laceram dissidio vrbe
 aperire. Id nouum hoc tempore bellum exortum
 erat, in quod auersi tota virium suarum mole Tur-
 riani, pene obliti erant maioris illius cum Archiepi-
 scopo certaminis, vnde hoc & alia Reipub. mala
 pendebant. Sed statim Archiepiscopus ipse caete-
 raque exfulum manus praedatorum hunc exercitum
 asciuere sibi, iunctisque cum Hispano viribus, maio-
 re spe, nondum meliore successu gerebant rem.
 Namque Turrianus, praeter vetera in Vicecomites
 odia, etiam irritatus indignitate, si tam longinquus
 hostis, Mediolanensium praesidio succinctus, ad vrbis
 mœnia succederet, consilia, & vires in vtrosque tam-
 quam impetu recenti contendit; habitoque per vrbe
 delictu

delectu armavit exercitum, quantum antea per eos tumultus neutra pars armare potuisset. Ea fuere, praeter agrestem multitudinem, urbanorum militum sex millia è singulis vrbis regionibus delecti milleni, centenosque singuli centuriones sub signis habebant. Miserunt etiam foederatae ciuitates auxilia, nouumque foedus initum cum Placentinis & Cremonensibus, qui Vicecomitis odio miserant hoc tempore Legatos Mediolanum, cum huiusmodi mandatis, vt ad omnia quaecunque Mediolanenses postularent, ipsos paratos fore pollicerentur. His domesticis, externisque copijs aucti Turriani praesidiarios misere ad omnia loca, quae forent opportuna Hispanis, & Vicecomiti, neque validior vnquam ea factio aduersus exules fuit. Vna res tamen angebat animos, quod exhausto diuturnis sumptibus aerario, non suppetebat vnde stipendia militi persoluerentur, ac super onera, quae ciuitatem antiquitus vrgebant, decursum ad noua tributa, quibus oppressa plebes execrari tot mala, & malorum auctores; odisse Turrianum, ipsa demum tributa detrectare, propter inopiam, aut irritatam ditium familiarium contumaciam, quae ne longius progredetur, statim in vtrosque vindicatum. Pauperes in custodiam abrepti, caeterorum aedes, immissa satellitum turba diripiebantur, nec vlla exactiõni mora post eos terrores fuit, Hispani cum exilibus, Archiepiscopo duce, capto Plumbio, tentato Vigleuano, circumferentes ad varia loca bellum, Carratum Oppidum dolo aggrediuntur, corruptis incolis, vt

muru
sibi

sibi portas aperirent. Ea res Turrianos pene in exitium impulit. Cùm enim per exploratores cognouissent, hostes illuc intendisse iter, caeterum de insidijs nihil neque audiissent, neque suspicarentur, mittunt repente aliquot manipulos ad obtinendum praesidio locum, qui cùm opportuna intus loca custodijs insedissent, ab exsulibus tertia vigilia per incustoditam forte portam introductis opprimuntur. Quòd nisi Turriani, accepto cladis nuntio, maturassent cum legionibus ab vrbe proficisci, minime dubium erat, quin capto Carrato, reliqua tractus eius exules occuparent, indeque fortasse Mediolanum caput rerum immitti externis aggredierentur. Verùm egressi subito Napus, & Franciscus omnibus copijs, incautos ab re bene gesta hostes caedunt, fugantq; , nec pepercit ira captiujs, quorum praetiosa capita in dubios belli euentus seruanda esse prudentia militaris monebat. Ad Gallaratum obruncati omnes, tanquam in victoriae termino possent impune dolorem vlscisci, & quasi de rerum summa iam decisum esset. In conuero fuit Thebaldus Vicecomes Othonis Archiepiscopi fratris filius Magni Mathæi pater, cuius magnae caedis dulcedo postea in amarum vertit; infecutaque res monuere feroces Turrianorum animos, quàm periculosum esset in bellis, praesenti nimium credere fortunæ, quamue oporteret è secundis rebus arripi subsidia, quae seruarentur aduersus Martem infidum. Dum autem excuterentur, spoliarenturve nobiles captiui, binae repertae sunt litterae, quarum

quarum alterae dictatori Ticinensium inscriptae erant, in alteris nomen erat suppressum; utraque tamen allatae Mediolanum, & in concione recitatae, minime dubium fecere, quin, & Ticinenses fauerent hosti, & in vrbe proditores essent. Id principium suspicionis in multos, qui ad eam diem, publici consilij participes, nullam inde Reipub. partem attingebant, siue ab amicis moniti, siue stimulante animos conscientia, & metu. Crescente dein suspitione multarum rerum, & Carratensi casu monstrante, quid in alijs accidere oppidis posset, Turriani, Seprium, & Marthelanam, ne arces, & receptacula hostium forent dirutis mœnibus nudauere, Cum Nouocomensibus quoq; foedus ictum, credo, ne veteres inimicitiae ciuitatem eam ad iungendas cum hoste vires incitarent, firmandoq; foederi Simonem quendam Nouocomensem, quem ferreo septo inclusum tenuerant, domum incolumen remisere. Haec omnia dum fierent, Archiepiscopus Otho ad Bugellam sedebat fremens ob res aduersas, & accepto nuntio de nece fratris filij, pene in desperationem redactus. Tunc nollet sumpsisse bellum, carissimiq; capitis iacturam non bene regnis omnibus posse compensari secum ipse reputabat; nec multum aberat ab eo consilio, vt fortunae, sicuti fit iratus, aufugeret aliquò, vbi Mediolanensium, neque facta, neque nomen amplius audiret. Rursus tamen, data patricijs dextera, & deserendi nefas, verecundiaq; tam mollis animi, dissimulare luctum, & insisterè cœptis cogebant. Rapiit illicò Ver-

cellas agmen, ibique laetis suorum animis accipitur. Mox & prompta fuere Nouariensium arma. His copijs auctus, arcem, quam ad Seprium Turriani pene dirutam reliquerant, in sedir, nouisq; munimentis opere tumultuario firmatam augebat quotidie magis ultra pristinas opportunitates. Inde consilium erat in Nouocomenses excurrere, quos ob recens cum Turriano foedus oderat Vicecomes haud minus quam Turrianum ipsum; credebatque, si urbem eam adiunxisset sibi, non leue subsidium hosti detractum fore. Id Turrianus quoq; providebat, & antequam Archiepiscopus gerere negotij quicquam posset, obuiam eundem ratus, in eam partem exercitum ducit. Exit contra & Archiepiscopus, stimulante animum noua illa indignatione, quod quacunq; in parte fixisset pedem, statim ex rebelli vrbe ad se se deiciendum accurreret, nec ubi consistere vnumquam posset. Pugnatur acriter, primoq; concursu victoria penes Othonem fuit. Postero die, cum rursus aduersae acies constitissent, vicere Turriani tanta Othonianorum clade, vt exutus omnibus pene copijs Archiepiscopus Nouocomum ad portas hostiles cofugeret, indeq; reiectus per nemorum deuia trepidaret Vrsanicum: ab Vrsanico Canobium agmine desertissimo perueniret. Ibi, cum precibus infimis obtinuisset, vt se se per breuem bidui moram sustinerent, mouit postea multos afflictas fortunae miseratione, vt aliquo subsidio extorem adiuuarent. Simul undique praepotentes exsules accurrunt ad tantae cladis famam, etiam si qui antea
intra

intra villas arcesue abditi, belli quod gerebatur exitum quiete speculabatur. Coacto rursus exercitu, atque in naues imposito, Aronam petit infestus, quam arcem in Verbani totius imperium opportuno loco imminentem appetuerat olim, & nunc ab securitate, quam secundae res creant, remissiores ibi Turrianorum esse custodias sciebat. Sextilis erat mensis; hora diei septima; praesidiarii milites, alij descenderant in Oppidum subiectum arci, alij intra arcem omissis telis, alea, caeterisque ludicris tempusterebant. Conspicita tamen est classis antequam ad moenia succederet. Datur ex arce repente signum; vagi per vicinitatem milites accurrunt; properant in stationem quique suam; sed omnia celeritas Othonianorum anteuertit. Postquam Aronensem arcem Archiepiscopus habuit in potestate, erexit animum; isque primus dies post res turbatas Vicecomiti tranquillus, atque laetus fuit. Vocatis ad concionem militibus ita esse locutus fertur. Si animum eum habemus, quem hodierno die nos habere Deus iubet, quemue etiam natales nostri, & in hunc diem tot exhausti labores, & ipsa mehercule hostium indignitas praebet; vicimus, milites, & per tantum temporis vagi, carentes patria, carentes vitae alimentis, stamus nunc tandem in urbibus, & imperij limine, quod partum virtute maiorum nostrorum, inquilinus per prodicionem scelusque possedit. Sed ne vestrum fortasse aliquis existimet huiusce orationis initio stimulos ad moueri sibi, ad laudem tantummodo, & gloriam, neque aliud agi,

» quàm vt dato nobis diuinitus hoc aditu victoriae,
 » caetera strenue persequamur, sicuti nobiles atque ge-
 » nerosos deceat: sic vnà mecū habetote; aut hinc cun-
 » dum in hostem, aut in hoc ipso loco nobis occumben-
 » dum. Eas necessitates nobis vndique fortuna cir-
 » cumdedit, vt nisi in hoc rerum articulo viri fortes si-
 » mus, pecudum instar omnes trucidemur. Neque verò
 » quàm necessaria nobis est victoria, tam esse difficilem
 » putetis. Hostes sunt plebeij homines, obscuro, supe-
 » ris inuisi, & propter impios erga nos animos contem-
 » ptumque sacrorum, extra Ecclesiae corpus Apostoli-
 » co decreto proiecti. Dux eorum, familia quae bene-
 » ficio nostro, in urbem accepta gratiam egregiam
 » hanc retulit, vt euerterent omnia seditionibus, & se se-
 » pessimo hominum generi contra Pontificem suum
 » nefarij belli authores praebent. Neq; vquam
 » nisi per scelera & prodiciones; & origine sua dignas
 » artes bellum gesserit. Aduersus hunc hostem, quem
 » Deus odit, quem omnes homines odisse debent, pro-
 » dire in aciem pauetis? superi profectò ipsi capient
 » pro nobis arma, & quando iam semel, salutem, ac liber-
 » rati nostrae viam aperuerit, sternent suis telis hostem,
 » nosque, nisi nostra ignauia obstat, in patriam sistent.
 » Tunc omnia, quae pessimi illi Turriani, seditionibus,
 » & rapinis, & in patriam nostram latrocinio cumulauerunt,
 » virtutis vestrae praemium erunt. Inuenietis opes in
 » vrbe, quae singulis, principum induere fortunam pol-
 » sunt. Satis adhuc militaris patientiae, satis incom-
 » modum fuit. Nunc tempus est, patrios repetere pe-
 » nates,

» nates, compescere plebem illam ingratham, concito-
» res illius vlcisci. En me Praesulem Episcopumque
» vestrum huius belli ducem, & primum ad subeunda
» pericula, ne hortator tantummodo animosus
» videri fortasse cuipiam possim. Non ego parui il-
» lud aestimo milites, quod nemo sit vestrum, qui non
» potuerit audire, quam inpauido animo per hosce tur-
» batae Reipub. annos pertulerim omnes casus, om-
» nia incommoda, quae fert bellum; nemo item, cuius
» animum, non eadem quae meum angat hostium in-
» dignitas, & faeuitia. Licuit mihi, si voluissem,
» vel antequam iretur ad arma, honestae pacis con-
» ditiones accipere, vel postquam bellicae res infeli-
» citer cadebant, quamcunque quietem tot pericu-
» lis anteferre. Verum, quia sciebam, non posset tot
» hominum scelera impunita stare diuinitus, & quan-
» to altius euecti forent, tanto grauiorem fore ca-
» sum, & ruinam; ad extremum retinui sum-
» pta semel arma, quae post ancipites euentus, me-
» liorem causam adiuuante Deo, iam esse prope
» victoriam videtis. Nunc igitur animum sic induxi me-
» um, quando cunque obuium hostem habuero, sum-
» mae rei periculum facere; & si obuius non fuerit,
» vltro è latebris excire. Vos, vel duce, vel milite
» me utemini. Aut patriam felici praelio vin-
» dicabimus ab impuro dominatu; aut, si fortuna du-
» bitabit, honeste cademus. Cùm ea Vicecomes fre-
» quenti suorum concione perorasset, sublatus est vn-
» dique clamor precantium fausta omnia Pontifici, &

vna omnium vox erat; duceret quò vellet; vincere, vel mori se paratos esse. Arx inde firmata, constitutumque præsidium; ac ne noui imperij taederet accolas, remissa tributa, conciliati muneribus potentiorum animi, nihil omisum, quod ad colligendam in rerum principio clementiae famam pertineret. Euenit ex hac victoria, quod ex omnibus euenire victorijs solet; vt nimirum victori cresceret authoritas, & illius sequi fortunam multi iam destinarent. Nouocomenses de foedere appellati desciuere à Turrianis, & nouum cum Archiepiscopo foedus iniere. Id ipsum alia fecerunt oppida, quae secundis paulo antea rebus Turrianorum, omnem cum Archiepiscopo foederis conditionem aspernabantur. Et Ricardus Languscus, qui propter diuitias, & splendorem aliquot aere suo cohortes alebat, pactione praeturae traductus in partes, vir sane acer, & nulli vnquam parti magnopere deditus, sed prout fortunae varietas, aut impetus animi tulisset, pronus in hos, aut illos. Alij quoque per Mediolanensem agrum potentes asseclae Turrianorum, si quid ab Arona moueret Archiepiscopus, nutantibus incum animis ex hoc tempore spectabant. Tanta, vnus, nec magnae victoriae vis fuit. Archiepiscopus ea repentina rerum atque voluntatum inclinatione magnopere laetus, prouisis ad Aronam, vt dixi, quae tempus monebat, castra Serenium mouer, qui locus ab Decio oppido duo millia passuum distat. Sciebat, egressurum vrbe Turrianum; Neque

que dimicandi moram fore. Sedem porro praelij delegerat eam, quia, cum priuatis olim rebus, Decij Canonicus fuisset, haud ambigebat, quin ex vetere familiaritate, fideles illic amici vtilem ad multa nauare operam possent. Vtraque res, sicuti crediderat successit. Et Turriani, audito Vicecomitis ad Serenium aduentu, cum omnibus repente copijs illuc properauere; & Deciani veterem amicum, nouum Pontificem in tantae rei discrimine multum adiuuere, gestaque res est in hunc modum. Ad xiiij. Cal. Feb. vniuersa familia Turrianorum, excepto Raimondo Patriarcha, Callono, & Gothofredo, excita subitis nuntijs, agmine tumultuario Decium contendit. Equites duxere fere septingentos, reliquis in tempore secuturis; neque enim vniuersas repente copias in vnum cogere potuerant, acerrimae auxiliaries prohibuerat festinatio. Ac primo quidem ingressu patentibus Oppidi portis summa omnium voluntate accepti, noctem, & diem insequentem per varia consilia, variosque vicini certaminis apparatus excogere. Oppidani quin etiam in partem consiliorum adhibiti, ob itinera, & comitatus, & locorum opportunitates, & alia, quae melius ipsi, atque certius nosse possent. Verum proxima nocte veteres Othonis amici egressi, ad illum omnia pertulerunt, quid ageret Turrianus; quantas copias adduxisset, quantas etiam expectaret; ac demum, si vellet Archiepiscopus incautos opprimere, facile fore negotium ostendebant. Id belli compendium Archiepiscopo placuit

cuis

euit magis, quamquam, & in lentae spei moras paratus venisset, dimissisque post breue colloquium proditoribus, quod reliquum erat noctis, necessariis in tanto discrimine consilijs insumpsit. Summo mane, instructo exercitu ad Oppidi portas stetit, iussisque alijs custodire camporum aperta militibus, alios ipse secum in Oppidum ad victoriae praemia potius, quam in vllum pugnae discrimen ducit. Napus, & Franciscus instare hostem sensere primi, & arreptis, quae fors obtulerat telis prodeunt, inclamantque ad arma, temporisque momento ex hospitij in vias effusi Turriani se se hostibus obtulere. Tenebrarum erat lucisque confinium, nec certi satis adhuc ictus vibrabantur. Mox vbi dies aperuit corpora, cedunt late semisopitos, & repentino percussos terrore, qui ardentibus animis venerant ad facinus tota nocte meditatum. Edidere tamen etiam Turriani vltimis in rebus rarae virtutis facinora, quarum illud memoratur. Franciscus familiae Princeps consensu ad primum tumultum equo, terrorem ingentem quacunq; se intulisset, per diu intactus ipse circumferebat, & vitabatur ab omnibus, ceu praelij illius fulmen. Hunc Othonianus pari ferocia conspicatus eques, ex transuerso cum inuasisset, vno ictu laeuum ipsius brachium obruncat. Manabat vbertim cruor; ille tamen altero brachio sustentare pugnam, & alienato velut absens animo ferire hostes vel auras donec offusa oculis caligine praecipit ex equo ad terram delabere. Seruatus est Othonis ipsius interuentu, cum

cæno taboq; coopertus agnito Pontificē, vltorem
Theobaldi necis adesse patrum crederet. Hic Fran-
cisci Turriani casus fuit; ceterorum nece parentauit
Archiepiscopus fratris filio, pauciq; captiui Nouo-
comum asportati, vt ibi in Baradellana arce, terri-
mi carceris pedore consumerentur. Eodem die Casso-
nus & Gothofredus, qui Theutonico praelidio Can-
turiū Oppidum insederant, ignari, quæ fortuna
suorum fuisset, Mediolanum citatis equis aduolau-
re, quò iam fama stragis antecesserat; nomenque
Turrianum esse deletum, etiam quibus minime laeta
res erat, fremebant. Si vñquam aliàs in vlla rerum
mutatione cerni potuit, quàm sit varia res, & infi-
da populus, eo sane die cerni potuit. Cùm enim tre-
pida fuga Gothofredus, & Cassonus urbem ingres-
si, crederent, in certum se venire praelidium & salu-
tem, pro salute & praelidio, infesta, funestaq; omnia
reperere additis insuper contumeliis, & ludibriis, quæ
in hostilibus etiam odiis acerba nimium essent. De-
tracti equis, & spoliati multitudinis concursu princi-
pes vix in sua tecta receptum habuerunt; adeò, cum for-
tuna mutati statim erant animi. Non tamen à sum-
mo rerum culmine deiectus ad ima Turrianus crede-
re poterat, ita decessisse omnium animis fidem, me-
moriãq; veterum beneficiorum, vt non caperet ali-
quos misericordia rerum suarum afflictarum, tantæq;
calamitatis: Ea fiducia dari campano aere signum
iubent, quod solenne erat vocandis ad accipienda
mandata ciuibus, vbi hostile aliquid ingruisset. Pauci

Yy admodum

admodum conuenerunt; & hi ipsi, postquam aliquam diu circumspectantes, vident comparere praeterea neminem, mutata esse omnia versamque fortunam, communi amicorum more dilabuntur. Interea nox appetebat, quae miseras hominum, atque solitudines augere solet obscuritate sua; legatos etiam totius nomine ciuitatis ad Othonem exisse delaturos obsequium constabat, & paulatim cingebatur milite domus, Turrianorumque reliquiae vocibus haud ambiguis ad necem poscebantur nullum ob odium; sed quia nouo principi mox adfuturo, magnum aliquod in illo rerum transitu offerre meritum parabant. Inter tot fortunae minas igitur Gothofredus & Cassonus, crescente in singula temporis momenta terrore, statuere cedendum esse necessitati, conscensisque equis abeuntes, eo ipso periculum vitauere, quod vltro fugiebant. Aufugere per portam, quae Romana dicitur, & flexo inde ad Tonsam itinere, per deuos calles ad laudem Pompeiam, inde peruenere Cremonam, qua item in vrbe, audita Vicecomitis victoria mutarat animos addictos olim Turrianae domui, nec ibi fidum, aut stabile quicquam reperere. Die, qui Turrianorum fugam insequabatur, Otho Vicecomes adfuit, Archiepiscopus, idem & princeps vrbis Mediolani, cui negatus honos, & bellum ortum ex iniuria, regnandi principium fuit, indeque familiae stabilis in aliquot saecula dominatus haereditas, & largae post dominatum opes. Eius diei magna species fuit, cum post diuturnum exilium, Pontifex armatus,

matas, & hostium exsuuijs, post exilij squalorem, induta, vel mox induenda nobilitas patriam ingrederetur. Obuiam iere Sacerdotes insignibus velati suis, pueri, feminae, populus vniuersus. Voluerant etiam erigere triumphales portas, intendere peristromata, quae alia forent effusae gratulationis erga principem nouum. Sed celeritas aduentus prauevit vrbis apparatus, vt vix instruendis ordinibus, ac disponendae pompae spatij satis relinqueretur; ac prope tumultuario agmine sunt egressi. Varia interim expectatio noui dominatus erat apud Clerum, apud Ciues, & pro diuersis ante victoriam in vrbe factionibus, multiplex etiam habitus animorum, quamquam certatim omnes voce vultuq; laetitiam praeferrerent, sicuti necesse erat apud eum principem, quem calamitates exilij mortesq; carorum efferasse crederentur in urbem, ex qua tot malorum origo. Sed illae cupidine quietis & laborum taedio, simul vetere dominationis arte, ingressum & principia rerum, maluit ex lenitate, quàm ab saeuicia famam obtinere. Id cum statim ab victoria secum ipse destinaasset, disponentiq; deinde per totum iter, imperij consilia, nulla sententia placuisset magis, ita urbem est ingressus, vt ipso quasi penetrans ad spectu in sensus & pectora multitudinis, faceret, vel laetissimos ex laetis, vel ex tristibus laetos. Timebant alij factionis aduersae victorem, & quod ab Turriano stetit, id ipsum, proscriptionis aut necis iustam fore causam arbitrabantur. Alij non tam solliciti rerum suarum erant, quàm dolebant Tur

rianorum vicom ob beneficia, & causas occultas, & gratos animos erga familiam, cuius reliquias nuper ex vrbe praecipites eiecerant. Nonnulli rursus, quamquam impetu ciuitatis tracti fuissent in partem factionemq; Turrianorum, oderant id nomen, hisq; laeta per se Vicecomitis victoria, laetus aduentus erat. Communiter tamen omnium animos angebat, non quidem ex Archiepiscopo, sed ex circumfusa nobilitate metus ille, ne olim exules, nunc principes vrbis, rerum omnium adepti licentiam, praedas agere, tamquam in sua possent vrbe, tamquam in aliena gestirent. Timendi finis fuit, vbi modesto incessu, benigno alloquio, & pari cum Archiepiscopo comitate, nulla re violata, discedentes in sua quemque recta conspexerunt. Confirmavit animos lene Vicecomitis edictum, quo simul atque processit in suam sedem, monuit ciues, vt quoniam finem malorum Deus ipse dedisset afflictæ per tot annos vrbi, caeleste beneficium agnoscerent, odijsque positis colebant pacem & concordiam, atque scirent, cordi fore sibi, ne fortunæ suæ conditionem cum vlla Italicarum ciuitatum conditione mutatam vellent. Parentem enim & custodem se vrbis Episcopumq; adesse, nullius rei memorem, quæ sollicitate animum possit. Haec ab Archiepiscopo promulgata cum essent, cumque dicerentur in omni fere congressu, habita dictis fides ob authoritatem, quæ aderat viro, & ille paria quotidie facta subnectebat in sacris profanisve rebus rarum vtriusque regiminis exemplum;

plum, licet ob diuturni belli consuetudinem magis ad ciuilia quam ad Ecclesiastica munera esse propensus videretur. Ricardum Languscum Praetorem ex antecondicto, Simonem Locarnensem plebis tribunum fecit, antiqua retinens magistratum nomina, ut eo quoque blandimento sibi animos firmaret. Ad reliqua deinde negotia principatus & pacis intentum occupauit subito rumor, e Turriana strage residuos quosdam milites, arcem, quae ad Montorfanum esset, insedis; excursiones inde in agros fieri. Eo primum rumore, certis deinde nuntijs excitus rursus ad arma Pontifex, validam illuc repente manum mittit, & alias postea cohortes, quae circumfedere Castellum donec inclusi subacti fame deditionem facerent. Abire saluis corporibus & impedimentis, Archiepiscopi iussu, qui recepisse arcem, & amouisse reliquias belli satis habuit; in capita saeuire pontificio nomine iam indignum putabat. Non tamen ea moderatione lenire animos potuit, quominus amissi principatus amissaeque patriae dolore circumeuntes Insubriam, nouum de integro bellum cierent. Castonius Turrianus ille, quem perditis ad Decium rebus, ab Canturio Mediolanum, Mediolano, Laudem Pompeiam, inde Cremonam, vna cum Gothofredo fugisse memorauimus, collectis qui praelio superfuerat, eius belli concitor fuit. Sociauerunt cum eo arma, Laudenses, Rhegienses, Vicetini; simul & Patriarcha Raimondus, vnicum iam Turrianae gentis columnam, audito suorum excidio properus aderat, cum hastatis

trecentis, & pari sagittariorum numero, Vicecomité,
sicuti rebatur, tantulo exercitu deiecturus vrbe.
Cùm igitur iunctis copijs Cassonus & Raimondus,
& ciuitates illae, quas memorauimus, constitissent ad
Laudem Pompeiam, eamq; bello sedem elegissent,
coepere inde praedatum exire in agrum Mediola-
nensem, exultisque pagis, & rupto ponte, quo flu-
men Abdua transibatur; haud mediocrem primo illo
incurfu Vicecomiti sollicitudinem iniecere, ne ferocè
desperatione ac rabie hostem sustinere non posset.
Ea verò sollicitudo maior est effecta, vbi Melinianum
vsque populabundos peruenisse Turrianos accepit.
Missa confestim obuium equitum peditumq; robo-
ra improspere dimicauere, caesoq; exercitu, captiui
duces abducti, in quorum virtute spei plurimum Ar-
chiepiscopus habebat. Namque fessus ipse laboribus
& rerum varietate, sicuti demonstratum est, etiam
quia Pastorem populorum arma dedecerent; statue-
rat credo procul abesse à periculis, & per viros illos
impigros administrare si quae geri bella deinceps o-
porteret; nec sane hoc tempore in aciem, sicuti sem-
per olim aduersus hostem prodibat. Eò ma-
gis crescere Turrianorum ferocia, spemq; fortunae
prioris audius rapere Cassonus, & Raimondus; ipsi
qui etiam Archiepiscopo seruitium, aut necem mini-
tari palam, iactare inter suos, quòd aliud esset, insidijs
& dolis circumuenire semisopitos, aliud apertò Mar-
terem gerere. His animis ad pontem Abduae flu-
mini, qui reficiebatur, exercitum ducunt, impedireq;

ac disturbare opus aggressi patrem priori pugnae successum habuere, captiuos alios abductis, quorum permutatione suos, qui ad Baradellum inclusi tenebantur, Archiepiscopo conditionem accipiente, redemerunt. Voluerant etiam redimere Napum, quem in eandem custodiam Archiepiscopus abdiderat. Sed ille iam senio carcerisque tabe confectus interea dum conditiones agitantur, ex humanis rebus excessit relinquens alios negotia & spes uanas. Vir fuit melior quam credi conditio temporum illorum sinat, curaque pacis, & animi moderatione ac pietate feliciorum bello exitum meritis quam ut captiuam animam in ipso veluti aditu libertatis exhalaret. Ut labi spiritum, & sibi adesse finem sensit, auertit se se totum in rerum aeternarum curas, & humanae vanitatis piaculo spreta funebri pompa rogauit suos, ut Franciscani ritus tunica inuolutum cadaver, arcto comitatu, modico lumine in tumulum inferrent. Sic Napus Turrianus obierat. At Archiepiscopus Otho, postquam resurgere Turrianorum res vidit, maiore conatu id sibi denuo capessendum esse bellum ratus, ne comprobaret exemplo suo militare verbum, quod monet, stantem ab afflicto hoste posse prosterni; corritur in arma ferox, veluti cum olim aras & focos exul patria, pontificatuque vindicaret. Primum omnium, Montisferrati Dynastam probatum sibi virum gerendo bello ducem creat. Is operam nauare futuro mox Insubriae totius principi, latiusque etiam, sicuti fuerant principia, dominaturo, suis haud inuile rebus.

bus.

bus censebat, ac fortasse artibus occultis ambierat, ut ipse in id munus ambiretur. Itaque cum delatam sibi per legatos ab Archiepiscopo summae rei potestatem & militare imperium accepisset, praeter obaeratos suos, quorum haud exiguum numerum habebat, petijt ex Ticinensium Vercellensiumque finibus turmas aliquot & cohortes; Derthona quoque & Alexandria quicquid potuere militum Imperatori nouo contulere. Nam eas ciuitates pronis olim in Turrianum animis, postea mutata in victorem Archiepiscopum fide, rursus hoc tempore cum fortuna fluctuantes inter hunc, aut illos, ne cunctarentur, aut negarent, Imperatoris ipsius, gratia, propinquitates, opes effecerant. Et super omnia, metus vrgebat, propterea quod, si principem illum irritassent, expectarentur ex finitimo semper hoste damna, nec pacati postea quicquam inde sperare possent. Coactis sic exercitu, Mediolanum venit ingenti ciuium expectatione, tamquam belli quod gerebatur, missum e caelo fulmen ad vltimum Turrianae domus excidium veniret. Militares copiae, quae ad urbem erant, obuiam processere sub vexillis imperatori nouo, neque genus vllum publicae gratulationis omissum, sicuti decebat aduersus eum, in quem belli curas omnes Archiepiscopus inclinare decreuisset. Ambrosianae aedes hospitium fuere, quo non fortasse laxius vllum per ea tempora domicilium fuisse Mediolani declarat ea res quod ut quisque venerat amplissimae fortunae princeps, illuc fere diuertebant. Stipendium attributum

tum civica acri pondo in singulos annos, & bina singulis diebus, quibus abesset Reip. causa, siue ob negotium aliud ex vrbe proficisceretur. Ea pecuniae summa tunc erat maior, quàm temporibus nostris esset, quibus pretia rerum in tantum creuere, vt pecuniae quoque valorem auxerit luxuria, pudendoque certamine, modum inuicem excedant, alimenta vitae, & segmenta metalli. Sed Imperator ipse non optima fide munus gessit, nimiumque magna mercede visus est esse conductus ad res tantummodo perturbandas. Cùm enim leuibus aliquandiu certaminibus ad Melinianum, ad Laudem Pompeiam, & circum flumina, Lambrum, & Abduam tempus cōtriuisset, cœpit, praeter delatam iam ab Archiepiscopo sibi potestatem, illud agitare, vt sicuti bellica res in sua manu posita esset vniuersa, ita etiam faciendae cum Turriano pacis arbiter foret. Id postulare, iniquum, absurdum erat; statimque negatum. Inde ille negligere multa & quotidie remissius agere vbi celeritate opus esset; rursus vbi cunctatio salutaris, praecipitare omnia, non nunquam etiam hosti occasionem aperire; demum ea ipsa res esse magna hostiũ occasio, quòd ortã discordiã, mutuam apud Archiepiscopum, & gerendi belli ducem gliscere diffidentiam scirent. Interea monuerant Archiepiscopum quotidiani casus, & inclinata res, meliorque semper hostium fortuna, nisi pristino spiritu belli summam capesseret, mox ab sua parte de victoria concessum fore. Nec vltra cunctatus, quàm dum Clerum arma-

Zz ret,

ret, cum eo ferociae recentis agmine, Gorgonzolam Oppidum petit, populabundum ea regione hostem ad acie dimicandum prouocaturus. Ea cupidine nimium ardens, dum se se in aperti Martis aleam parat, nocturnas insidias non vitauit. Gorgonzola quindecim ab vrbe passuum millibus distat oblongae viae formam referens: alluitur alueo navigabili; Canoniorum ampla testā coniunctumq; Praepositi domicilium habebat. Huc se Archiepiscopus Otho cum recepisset, speculati Turriani noctem incustoditam, circumueniunt repente oppidum, illatisq; facibus omnia inuoluunt igni, quem effugientes, in circumiectos armatorum globos incidebant. Capti multi, caesi plures deleriq; ea nocte totus Ecclesiasticorum exercitus potuit, si non aliquod ipsa nox effugium dedisset. Archiepiscopus ipse, ferrum inter & ignes obuoluto capite sacram ex proximo domicilio turrim petijt, anhelantiq; trepidatione connixus in tabulata, fatalem ibi horam expectauit, quae non aderat; & dilapso mox hoste incolumis ex ea latebra prodijt ad reliquias suorum. Post eum casum dynasta Montisferrati domum abierat, profligatas Archiepiscopi res putans, & fremens, victorem adesse iratum, quem si habita sibi foret fides honestis placare conditionibus potuissent. Iret nunc Archiepiscopus, irent moderatrix & socia consiliorum illius nobilitas, authoremq; pacis in perfidiae suspicionem vocarent, numquam se amplius moturum ab domo pedem ingratae ciuitatis causa, sua stipendia sibi, tuos honores ha-

haberent. Scilicet ad caeteram cladem hoc etiam ac-
cesserat, vt desertor insultaret. Id Othoni peracerbum
erat; & cū indignitas magnopere angeret animum,
grauia simul adiuncta damna non minus angebant.
Quippe desperasse de victoria videbatur; vnde fida-
cia hosti, & magna suspicio, ne se ad eum aggregaret.
Tum imminuta apud socios authoritas, periculum
ex aliorum defectione, & orto semel contemptu, pro-
cliues ad rebellandum animi. Pernumerata quoque
iam in stipendium pecunia, vile quidem alioqui, sed
rebus afflictis graue detrimentum, augebat dolorem;
ac demum extremus ex eo dolor, quia factus erat ho-
stis qui cognouerat consilia, vires, animos ciuium, &
si quid occultum Archiepiscopus pararet. Ob ea om-
nia; simul, quia strenuum & probatum olim, & gna-
rum exercitus vtriusque reconciliare grande belli mo-
mentum habebatur, missus ad eum Bonifacius Puster-
la cum ijs mandatis, vt pollicendo multa & demon-
strando leniret iras, neque abisteret, donec ei persua-
sisset. Facile persuasum, sed non facile sinceri quic-
quam inesse poterat ei viro, qui petendo id quod mi-
nime concedendum erat, repulsae contumeliam in-
fensissimus accepisset. Ac dissimulato in praesentia
dolore, Mediolanum vt reuertit, & ciues, & Archie-
piscopum eludebat, sedendo ad urbem, & gerendae
rei tempus extrahendo, cū interea feroces euenti-
bus Turriani late omnia popularentur. Prorsus ap-
parebat, hostili perseveraturum animo, nisi id quod
principio expetiuerat faciendae cum Turriano pacis

arbitrium extorqueret. Id sicuti antea Vicecomes abnuere, malle belli fortunam omnem experiri, quàm sese committere in eum casum, ut Dynastæ illius arbitrato accipiendæ conditiones, ponenda arma, & ex tanto dominatu forsitan ad nuda sacra recidendum esset. Verùm, ubi rursus ille parare discessum institit, & quasi iam iamq; abiturus minitabatur insuper, se belli accessionem fore, pretium duxit, novas admouere preces, quibus cum retinere conaretur. Erat Monferratensi familiaris amicitia vetusq; necessitudo cum Episcopo Nouocomi, & Archidiacono Nouariae, quos utrosque post res translatas auerterrat fortuna in Vicecomitem, manebantq; constanti nunc fide; ac tanto minus resurgere Turrianum volebant, quanto cernebant infensorem fore sibi, si rursus imperium adipisceretur. Hos in re trepida Vicecomes cum exciuisser, rogauit, ut agerent cum Dynasta Montisferati; ne susceptam deserere prouinciam vellet in tanto discrimine, quod si faceret, insidiatus esse tempori videretur, occasionemq; captasse prodendæ ciuitatis. Eam porrò famam indignam ipsius virtute, indignam splendore, quem à maioribus accepisset, cum dedecore damnum ipsi quoq; allaturam esse. Quem enim, siue principem, siue populum, siue priuatum hominem posse probare factum eiusmodi, ac si non probarent; quo forent in ipsum animo, quid ve in posterum tam suspectæ fidei credere deberent? Ipsos profecto Turrianos tale facinus abominaturos videri, si verum sit illud, quod veteri verbo mul-

multorumq; casibus comprobatum veter quē-
quam gratiam sperare violatae fidei apud eos etiam,
quibus ipsa violatio tulerit opes, regna, salutem. Pro-
inde poneret, si quam animo accepisset offensionem,
& nobilitati, Archiepiscopoq; Mediolanensi aduer-
sus plebeios seditionum satellites ob fortitudinem
eximiam delectus imperator mallet Penatibus suis
inferre titulum seruatae tantae vr̄bis ac defensi Vice-
comitum principatus, quā proditae spei deserta-
rumq; rerum, ad quarum salutem, veluti numen ali-
quod uocatus fuisset. Honores habitos ei, qui in
tali fortuna turbatoq; rerum statu potuerint haberi;
si quies obtingat, isq; bello sit exitus, quem causae
aequitas promittat, futurum ipsum in parte victo-
riae nullius irritum voti, siue priuatim aliquid, siue
publice postularit. De pace arbitrato suo facienda
quod tantopere imbiberit animo, suspenderet paulis
per eius rei cupiditatem, donec elati nonnullo rerum
successu Turriani redigerentur in aequum. Nunc
ambigente Marte, si pax tentetur, conditiones acci-
piendas esse tanquam victis, quae ne labes admitta-
tur, sit bello potius cadendum. Haec ab Episcopo
& Archidiacono ex ipsius autoritate Vicecomitis
dicta Monferrateni, non mouerunt obfirmatum ani-
mum, & in eo quod semel destinasset, nimio plus cō-
stantem. Aut dici se tam pacis quā belli arbitrum
oportere, aut ne morarentur abeuntem, respondit;
clausaq; inde precibus amicorum aures erant. In-
terim secundae Turrianorum res vr̄gebant, & fortu-
na

na suo more nimia inflandis animis, aut ex diuerso affligendis, quotidie magis in Vicecomitem saeuiebat, ipsis prope moenibus hostem admouendo. Fumantes ex incendijs villae conspiciebantur in vrbe, fragorque rectorum audiebatur, & agrestium fuga desertis agris caritatem annonae primo, deinde fame fore apparebat. Nisi quod nondum potiebatur vrbe Turrianus, Archiepiscopi victoria verterat in cladem, & tam breui tempore spectaculum humanarum rerum duo mutati dominatus exhibebant alternante vices bello. Tunc primores Ciuitatis Archiepiscopum circumstant, monent, obsecrant, vti pacem agitari potius sinat, quam irato victori cuncta permittantur. Ita ille victus precibus omnium, efflagitatione singulorum, & sua magis ira quam metu, quandoquidem, inquit, praecipites agimur, & vos me vultis esse prostratum antequam ceciderim, haud ultra morabor nimiam hostium fortunam, & vestram pereundi perdendique simul omnia libidinem. Regar ab ijs, quos regere debueram, & pro belli gloria pacis ignominiosae discrimen, alieni arbitrij aleam, certam denique seruitutem vnà cum patria subibo. Agite sane ferte cuncta vt lubet, dummodo ego testes habeam superos, ciuium datum esse furori quicquid hoc in rem publicam praepropera desperatione peccatur. Haec fero e dixit Vicecomes, cum attonita Turrianorum metu ciuitas quotidiano conuicio efflagitaret, vt Dynastae Montisferrati permitteret summam rerum omnium potestatem. Et quamquam eiusmodi erat oratio,

oratio, ut minitari potius & exprobrare, quam concedere quicquam videretur; tamen, neque sicuti sensus verborum erat interior, neque sicut enunciabantur, sed sicut ipsi volebant, arripuere. Ita Monferratensis negotium est datum, ut quibuscunque vellet conditionibus cum Turriano pacem faceret. Id ille tantopere contenderat, siue quia re vera diffideret bello, siue quia Turrianis obstrictus occulto foedere, tutius putaret abrumpere incerta belli, & interea dum secunda fortuna vterentur, pace, quae victoriae foret instar, gentem eam deuincire sibi. Accepta igitur potestate componendae rei, sicut ipsi videretur, Legatos mittit ad Raymondum Turrianum Aquileiae Patriarcham caeterosque familiae principes, qui nuntiarent; Archiepiscopum, Senatum, populumque Mediolanensem, permisisse sibi faciendae pacis arbitrium; id ipsi quoque si ratum haberent, daturum operam, ut se Turriani nominis fidelem amicum experirentur. Fortasse etiam, uti creditum fuit, dederat occulta mandata legatis, & iusserat fidem in id obligare suam; si vicissim assentirentur, posse in conditionibus aliquid eiusmodi conuenire, ut restituerentur in imperij partem, si non tota pristinae fortunae moles, quemadmodum quidem ipse cuperet, amplissimae familiae recuperaretur. Haec & alia Patriarchae caeterisque Turrianis affirmantes legati, duriores opinione sua repererunt animos, & obfirmatos in omnem belli casum, tanquam nihil negotij sibi cum Dynasta Montisferzati esset, nihilque antea cum ipso de ea re per litteras,

aut

aut nuntios egissent. Prosperae, credo, res & ex afflicta fortuna spes nouae dederant spiritus ingentes, ut mallent armis recuperare veterem dominatum, quàm alterius arbitrio quicquam pacisci. Ferocia igitur responsa retulere domum legati; Sacrificulū Othonem, postquam dolo rem bene gesserit, coepisse agere de pace; quoniam aperto Marte sit impar, nouis infidijs declinare vim imminentem. Sed bello & virtute decernendum, quinam teneant imperium urbis Mediolani. Accenderat ea res in vrbe animos nobilium, ut qui modò pacem expetiuerant, prodire in aciem, vltimum subire discrimen arderent. Ipse ante alios Dynasta Montisferrati, qui pacis eius causa tantas Mediolani turbas conciuisset, desertam sibi fidem elusosve conatus aegreferens, muniabelli tunc demum bona fide capessuit; & in Turrianos, quorum ad eam diem fauisse rebus credebatur, hostili coortus impetu, Vaprium, inde Bripium, quae castella per eos tenebantur, adoritur. Neutro tamen incepto satis felix, reiectus à Vaprio, graui ad Bripium accepta clade, dolo insuper Turrianorum ignominiose circumuentus, res Mediolanensium in extremam prope desperationem adduxit. Nam, cum post Bripiensem cladem, humanis cadaueribus, curandisq; faucijs laudato ducum munere intentus esset, falsus repente nuntius affertur ei; Turrianos deserto Bripio relictosq; sine praesidiarijs arce in circumiectos agros ex illo pabulatum, occupatosq; praeda nullam habere cogitationem rerum aliarum, quae ad bellum pertinerent.

Inuitabat

Inuitabat animum occasio demendae ignominiae
 simul, & recipiendae arcis, quae magnas in eo ciuili
 belli discrimine opportunitates haberet. Itaque
 superstites e clade armari celeriter iubet: armat ipse
 quoque quam acerrime suum corpus: praemia stre-
 nuis pollicetur, segnibus intentat minas, ac nulla re
 omissa, quam in magni periculi praelijs veteres
 vsurpassent, prudentiaq; militaris moneret, ad castellū
 cum toto exercitu subit infestus, si abijisset hostis, va-
 cuam absque cerramine arcem occupaturus; si quid
 repentini periculi oriretur, haud imparatus. Ea om-
 nia sefellere ducem, tantaq; subito coorta vis
 hostium à tergo, à lateribus, à fronte se se
 circumfudit, paene vt opprimeren-
 tur, & cladem longe maio-
 rem acciperent, quae
 fuerat illa, cuius
 vindices ad-
 uenerant.

